

BX
+826
J+4,

GERSON, WICLEFUS, HUSSUS

INTER SE

ET CUM REFORMATORIBUS

COMPARATI

AB

ARMINIO JEEP

GUELPHERBYTANO.

COMMENTATIO IN CONCERTATIONE

CIVIUM

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

DIE IV. JUNII A. MDCCCLVI

AB

SUMME VENERABILI THEOLOGORUM ORDINE

PRAEMIO REGIO ORNATA.

GOTTINGAE, MDCCCLVII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

OPTIMO PATRI

ET

AMATISSIMO FRATRI ALBERTO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ET PIO ANIMO

D. D. D.

A U C T O R.

BX
4826
.J44

Hist-med.
Lieblich
1-26-31
23179

PRAEFATIO.

De hac commentatione, cujus argumentum est quaestio a s. r. ordine Theologorum Georgiae Augustae proposita:

Exponantur consilia, quae saeculo decimo quinto a Johanne Gersone ad emendandam ecclesiam proposita sint, comparenturque cum iis argumentis, quae eadem de re jam antea Wiclefus, Hussus eorumque sectatores attulerint. Denique demonstretur, quatenus intercedat ratio inter illa consilia atque argumenta et ipsam reformationem, qualis saeculo tandem decimo sexto oberta est

amplissimus ordo Theologorum ita judicavit:

Die Abhandlung holt oft zu weit aus, verweilt nicht selten zu lange bei Nebendingen, während sie hauptsächlichere Punkte, wie das Verhältniss der scholastischen zur mystischen Theologie Gersons nicht immer eindringend genug behandelt. Ebenso ist die Vergleichung mit der reformatorischen That des 16. Jahrhunderts nicht in der nothwendigen Ausführlichkeit und Gründlichkeit aufgenommen. Doch bietet die Abhandlung sehr empfehlenswerthe Seiten. Ein ungemein treuer Fleiss wird durch die ganze Arbeit hindurch sichtbar; gleiche Hingebung und die nöthige Ausdauer macht sich überall geltend; es sind umfassende Studien in den Quellen wie in der neueren Literatur gemacht, gleichwohl aber die Masse des Stoffes wohl bewältigt und zuletzt Alles in einfachen, klaren Gesichtspuncten gut zusammengestellt. Tritt auch das Urtheil nicht immer in bestimmter Schärfe auf, so ist

es doch wohlwogen, besonnen und hält sich von fertigen Kategorien fern. Besonders zeichnet sich die Erörterung über Hus durch gründliches und lebendiges Eingehen aus. Die lateinische Diction ist gerade nicht incorrect, doch nicht immer fließend und leicht genug.

Nach dieser Sachlage erschien die Abhandlung, da die Vorzüge, die an ihr zu rühmen sind, ihre Mängel hinreichend überwiegen und als Anerkennung des bewiesenen Eifers, des königlichen Preises würdig. Vor der Uebergabe an den Druck hat jedoch der Verfasser Einleitung und besonders manche Parthien in der Darstellung von Wicief und Hus abzukürzen, dagegen Gerson's dogmatische Lehre näher zu erörtern und die eigentliche Vergleichung mit der Reformation bestimmter auszuführen. Endlich hat der Verfasser auf die Darstellung eine erneuerte und scharfprüfende Sorgfalt zu verwenden.

Zusatz vom 5. Januar 1857.

Nachdem die bezeichneten Desiderien theilweise ihre befriedigende Erledigung gefunden haben, so gestattet die theologische Facultät den Druck der Abhandlung.

Dr. *Dorner*, h. t. Decanus.

Propria reformationis vis in eo cernitur, ut populorum animos a prava ad rectam honestamque vivendi rationem revocet, revocatosque redintegret. Quare quum religio fons et summa totius vitae sit, ad eam quidem reformatio maxime pertinet; neque tamen in quamlibet ejus speciem cadit. Paganorum enim ratio Deos fingendi et colendi, quae quasi stirps nequitiae est; et Judaeorum immutabilis lex, quae docet et judicat, sed nec vitam, nec justitiam dat, veram reformationem non admittit. Haec effici non potest, quin humana voluntas cum divina lege prorsus uniatur; id quod tantum intra fines christianae religionis, quippe ita fundatae, ut Deus humanam naturam indueret, usu venire potest. Si igitur, qui Christum profitentur, semper reformationis studio incensi, errores judaicos et ethnicos, si qui irrepserint, abolere, abhorrentesque a vitae sanctimonia mores abususque comprimere student. Si autem errores vitiaque latissime patent, ut perversitas suam maturitatem habeat, nec quicquam relinquatur, nisi ut aut in perniciem incurrant, aut ad sanitatem revertantur, tum, quae propria vereque reformatio dicitur, exsistere potest; populis dissolutam ecclesiae disciplinam in veterem dignitatem vindicantibus. Sicut perniciēs paulatim animos comprehendit, sic necesse est, cogitationem hominum diu multumque causis et remediis depravationis exquirendis versari, emendandi voluntatem incitari. Ita paulatim argumenta et fundamenta, quibus nixa ipsa reformatio oboriatur, comparantur. Tribus autem actibus reformatio continetur. Primum oportet reformatorem ad Christum, ut fontem sancte vivendi, a quo aequales desciverant redire, in eo totum esse et quasi vivere; deinde secundum hanc renatae in ipso christianae vitae normam, falsa instituta a veris judicare et rejicere, denique novo vivendi principio in omnes ecclesiae partes diffuso, totam vitam universamque societatem humanam regenerare et confirmare.

Inter omnes constat sub finem medii aevi reformationem ecclesiae maxime necessariam fuisse, quoniam homines a recta via per errorem deflexerant. Ecclesiae erat, erudire populos Germanos, ut gratiam Dei in Christo revelatam acciperent et sapientiam veterum populorum ad christianam religionem accommodarent. Cui quidem muneri ecclesia in tantum suffecit, ut populorum rudem barbarumque vitae cultum emendaret; eos uno baptismatis, fidei, obedientiae vinculo conjungeret et prorsus ecclesiae romanae auctoritati subjiceret; attamen, quum erudientis sit, per leges et praecepta ad libertatem trahere, religione christiana in novam legem mutata, ecclesia in errores ethnicos et judaicos recidit. Ecclesia hominem cum Deo, cui severam legislatoris majestatem tribuit, non tam per Christum, quam per Mariam et sanctos unire voluit. Gloria vero sanctorum ecclesiam, quae eos in sanctorum numero posuerat, ornavit. Ecclesia romana universalis, triumphantis, quin etiam Christi laudem, honorem, potentiam sibi arrogavit. Tanquam iudex, qui falli non posset, scripturam sacram, quam pro nova lege habuit interpretata est, nova praecepta, quasi ad hominum salutem necessaria dedit, peccata vivorum et mortuorum solvit et ligavit. Ecclesia e sacerdotibus constitit, qui caractere indelebili insignes, uno capite et regimine hierarchico, una vivendi ratione et lingua conjuncti, omnia saecularia sibi subjicere et regere studuerunt, quo accidit, ut ipsa ecclesia magis magisque saecularem speciem praeberet. Homines conscientiam suae salutis amiserunt; a scriptura sacra abalienati, ad opera externa conversi sunt. Hierarchia, quo majorem auctoritatem assecuta est, eo magis laicos oppressit; eos a communi Dei cultu, qui fere totus in celebranda missa constabat, exclusit; et vitam per nova sacramenta sanctam reddere voluit. Jura et bona populorum et regum papa imminuit vel evertit; gladium spiritualem et saecularem sibi vindicans. Doctrinae studia non, nisi ad veritatem dogmatum et institutionem ecclesiae demonstrandam adhiberi, ut breviter, omnes res divinas et humanas administrare voluit. Neque vero defuerunt, qui laudem pietatis non in mundo regendo, sed in fugiendo cernerent. Monachi, quorum vitam omnes hominum ordines magis minusve imitabantur, se ipsos et totum mundum Deo devovere, sibi proponebant, attamen semper inter acerbam vitae severitatem et morum depravationem fluctuabant. Jam sectae ob sacerdotum depravatam vitam, ob sacrae scripturae neglectioem, ob operum externorum nimiam admirationem ab ecclesia romana aversae; jam populi et reges de hierarchiae ambitione et avaritia frustra conquesti erant, quum tempore schismatis vehementius desiderium reformationis exortum est, et magni illi motus, qui omnium oculos in se convertebant, facti sunt. Ad quos concitandos

viri, de quibus accuratius agere nobis propositum est, permultum valuerunt. Primum Gersonem tractemus.

I. Gerson.

Johannes¹⁾, cui e vico Remensi, in quo a. MCCCLXIII natus est, nomen Gersonis erat, pauperes quidem, sed pios et devotos parentes habuit. Summa pietate instructus, tamen se non pro illorum temporum consuetudine in monasterium abdidit; sed rebus adversis patriam et ecclesiam labefactantibus, motus studio veri investigandi, se in academiam parisiensem²⁾ contulit a. MCCCLXXVII. Quaecunque ad pietatem, literas, ecclesiam, patriam pertinebant, ejus animum commoverunt. Ad mysticam quidem contemplationem et theologiam a juventute maxime propensus, tamen biblia quoque, patres et doctores ecclesiasticos, veteres philosophos et poetas summo studio et judicio tractavit, claris usus praeceptoribus, sicut Petro de Alliaco, cancellariò Parisiensi. Assensus commilitonum, laus praeceptorum ingenio et doctrinae ejus non defuit. Academia Parisiensis tum praeter ceteras florebat. Doctrinae quidem et auctoritati ecclesiae addicta, tamen majore libertate et intentione cogitandi effecit, ut non solum ancilla, sed etiam lux ecclesiae esset. Non solum sua, sed etiam regis, cujus filia nominabatur, et populorum jura et privilegia ab arbitrio paparum defendit³⁾. Placita ejus in rebus, quae ad fidem et doctrinam, ad ecclesiam et rempublicam spectabant, plurimum valuerunt. Quocirca quum in schismate et pugna Clementis VII et Urbani VI Gallia a partibus prioris staret, pacem et unitatem ecclesiae restituere studuit⁴⁾. Plures viri, lique amplissimi, ut Petrus de Alliaco, Henricus de Hassia, Nicolaus Clemangius modos ecclesiae uniendae quaesiverunt. Academia vero anno MCCCXCIV triplicem viam proposuit, viam cessionis voluntariae, compromissionis, concilii generalis. Multis autem certaminibus interpositis, denique a. MCCCXCVIII ii, qui rerum novarum cupidi, Clementi, ejusque successori, Benedicto XIII, viro subtilissimo, obedientiam a Gallia subtrahendam esse censuerunt, id, quod spectabant, assecuti sunt⁵⁾. Gerson, qui a. MCCCXCII honorem

1) Historia concilii constant. ed. Herm. v. d. Hardt. I, IV. p. 26 seqq. — Gersonis opera omnia. ed. Dupin 1706. I. — Essai sur Jean Gerson par Schmidt. 1839.

2) Savigny: Geschichte des römischen Rechtes im Mittelalter. 1822. III. p. 380 ss.

3) Savigny III, 317. 325 s.

4) Op. Gers. II, 144.

5) Op. Gers. Gersoniana I. p. 8 seqq.

professoris theologiae, a. MCCCXCVIII cancellarii nactus est, his negotiis maxime implicatus, neque horum agendi rationem probavit neque eorum, qui papam iudicio aliorum obnoxium esse, negaverunt. Ipse, sicut amici ejus Petrus, Nicolaus, alii, perniciem ecclesiae e fonte altiore deduxit, quam ut papa a munere removendo emendari posset. Quocirca majore in agendo temperantia usus est et docendo, non ad salutem pertinere, huic vel illi papae adhaerere, dubitantibus, num tempore schismatis sacramenta rite administrarentur, omnem metum et anxietatem adimere studuit¹⁾. Viam cessionis voluntariae pro optima facillimaque habuit²⁾; nec quum argutus Benedictus XIII. Petrum et Nicolaum ab academia avocavisset et in dies odium inimicorum cresceret, opinioni, quam sibi informaverat, defuit. Licet auctoritati regis et regni non contrariu sesset, tamen si Benedictus ad pacem restituendam paratus esset, reditum in obedientiam suasit³⁾. Reformationem vero latius patentem necessariam esse intellexit. Perturbationes, in quas patria et ecclesia inciderat, summo moerore et tristitia mitem ejus animum affecerunt. Quum Brugas se contulisset, laboribus et morbis fessum suscepti cancellarii muneris taeduit. Noluit enim amplius malis principibus, velut duci Aureliano, obedire; indignos honore doctoris ornare, amaram paupertatem pati⁴⁾. Vix a consilio omnium honorum deponendorum, vitaeque in silentio et contemplatione degendae preces amicorum, auctoritas ducis Burgundiae eum revocaverunt⁵⁾. Tum vero viribus integris omnium ordinum „expeditissimam ignaviam et ignorantiam“, avaritiam, contemptum verbi divini, bonorumque pastorum increpat. Studium theologiae et philosophiae ad animi pietatem et simplicitatem, ad biblicas et morales quaestiones a nimia atque inutili curiositate et subtilitate revocat; animo discipulorum imprimens illud: „poenitentini et credite evangelio“. Ne falsae et haereticae sententiae propagentur, omnes doctores regulam et iudicium academiae Parisiensis sequi vult; neque ab erroribus inquirendis alienus est⁶⁾.

Neque vero tam diu, quam voluit, Brugis manere potuit. Benedictus inde ab a. MCCCXCVIII Avenione obsessus, fugerat a. MCCCCH. Principes, academia, populus, omnes de papae restituenda obedientia in

1) Op. II, 1 seqq. 3 seqq.

2) Op. II, 74.

3) Op. II, 1 s.; II, 74. Hardt, Vita Gersonis p. 33.

4) Op. IV, 725 seqq. Savigny III, 336 seqq.

5) Op. I, 121. Op. IV, 723.

6) Op. I, 86 seqq. 106 seqq. 120 seqq. II, 277.

utramque partem disputant. Gerson Parisios redit; suadet, ut Gallia sub certis conditionibus in obedientiam redeat¹⁾. Quod voluit, accidit; sed ne tum quidem, quamvis summo gaudio permotus, speciem adulatoris papae praebuit. Coram Benedicto de summis officiis et vitiis paparum sine ullo hominum timore locutus est; unde multum sibi odii et inimicitiarum collegit²⁾. —

Magis vero magisque persuasus, voluntariam paparum cessionem non exspectandam esse, omnem spem in concilio convocando collocavit. Papatum a Christo institutum esse; singulorum autem paparum potestatem communi salute a concilio generali metiendam esse; jus concilii convocandi praecipue quidem, sed non solum penes pontifices esse, ratus³⁾, paulatim ad egregias suas de conciliis, de ecclesia sententias pervenit; nec diu occasio ex iis agendi defuit. Quum enim papae nec promissis nec simulato reconciliationis studio populos decipere possent, cardinales papis relictis concilium generale Pisas in annum MCCCCIX convocaverunt. Gerson susceptarum sententiarum rationem secutus est, quum Pisis de unitate et reformatione ecclesiae in capite et membris ageretur. Sicut vero ei unitas ecclesiastica ante reformationem efficienda, ac nescio an gravior esse videbatur, ita concilium illud non dubitavit, Gregorio XII et Benedicto XIII remotis, Alexandrum V papam eligere, ut ejus auxilio reformationi operam daret⁴⁾. Sic evenit, ut papa, anno MCCCCIX nondum elapso, concilium dissolveret, reformatione nondum effecta; ut porro, loco duorum, de facto tres pontifices de summa potestate dimicarent. Gerson summa cum fiducia, Alexandrum abusus omnium ordinum praecipue curiae romanae abrogaturum, quin imo diu separatos Graecos cum Latinis reconciliaturum esse, speravit. Namque Alexander genere Graecus fuit et excellens theologus habebatur; et Gerson rationes, quae inter Graecos et Latinos intercedebant, magis ad modum gubernandi et vivendi, quam ad fidei veritatem pertinere, censuit⁵⁾. Neque tamen desidia se dedit, libertatem gallicanae ecclesiae defendi, turbas in Anglia et studio pragensi exortas sedari, novum concilium intra triennium convocari voluit⁶⁾. Ac si unquam, tum attentis animis opus fuit. Cardinales in concilio pisano improbe egerant; Alexander V omni animi con-

1) Op. II, 32 seqq.

2) Op. II, 32 seqq; 43 seqq; 54 seqq; 74 s.

3) Op. II, 83, 112 s; IV, 624.

4) Hardt. tom. II. pars II. p. 62 seqq. Acta pisana. sessio XVI et XVII.

5) Op. II, 131. 141 — 153.

6) Op. II, 148 seqq.

stantia carebat¹⁾. Eum vero mox Johannes XXIII secutus est, homo nequissimus, summis et plurimis sceleribus contaminatus, qui omnia quae sancta et honesta habebantur in contemptum et derisum convertit. Pestis in dies crescens populorum molestias et tristitiam auxit, et optimi cujusque acumen in remediis malorum inquirendis exacuit.

Tum duo viri, qui in numero optimorum ejus aetatis jure habentur, Petrus de Alliaco et Gerson ecclesiam uniendam et reformandam curaverunt. Petrus, vir subtilis in quaestionibus scholasticis, aptus ad res publicas administrandas, tenax propositi, sed mystico Gersonis animo carens, inter primos concilium generale postulavit²⁾. In libro „de difficultate reformationis in concilio universali“³⁾ majorem concilio, quam papae auctoritatem tribuit, sed qua papalis potestas non imminueretur. Qua de causa reformationem, sede apostolica vacante, improbat; neque tamen aliam reformandi rationem invenit. Nam cardinales, inquit, aut unum e suis eligent, aut, si jus papae eligendi aliis datur, novum schisma efficient. Gerson perniciem ecclesiae melius intelligens, quam Petrus in scripto praeclaro, quod inscribitur „de modis uniendi et reformandi ecclesiam“⁴⁾ quas attulit ille difficultates superari posse demonstrat. „In concilio pisano“, inquit, „omnia fuerunt quasi primis motibus facta et agitata, spiritu vehementi, non matura deliberatione, ut etiam concilium decebat, ordinata nec completa“⁵⁾. Multis de causis a sequenti concilio majora melioraque effici posse censet. Omnes papas non solum de jure, sed quoque de facto a munere removendos esse; et id quidem, si opus fuerit „dolus, fraudibus, armis, tandem carceribus, mortibus“⁶⁾ Potestatem concilii nemini tradi posse, potestatem paparum limitandam et coërcendam esse⁷⁾, ut unio in moribus et sacris statutis primitivae ecclesiae fieri possit⁸⁾. Novum denique papam non a cardinalibus neque e numero eorum eligendum esse, sed a „perfectioribus et magis expertis, praeclaris, qui erunt in ipsa congregatione“. Eligatur vero e singulis regnis, secundum certum ordinem, qui optimus, doctissimus, sanctissimus in iis inveniatur⁹⁾. Quibus argumentis Petrus non convictus, necessitatem tamen reformationis summo animi ardore confirmavit.

1) Neander VI, 114 seqq. Op. Gers. II, 872.

2) Gersoniana II, 37.

3) Gers. Op. II 925 seqq.

4) Op. II, 161 — 201.

5) Op. II, 186.

6) Op. II, 181, 170.

7) Op. II, 172 s. 182.

8) Op. II, 181.

9) Op. II, 195 seqq.

Johannes XXIII, invitus, in calendas novembres anni MCCCCXIV synodum universalem Constantiam convocavit. Quo concilio nullum medii aevi majus, amplius, praesentia principum et praelatorum insignius, liberalium et doctorum virorum auctoritate excelsius fuit. Jam prima placita concilii de jure suffragii et de votis non secundum capita, sed secundum quatuor nationes perscrutandis papae voluntati prorsus contraria fuerunt ¹⁾. Gerson fungens munere legati universitatis, optimo jure „anima concilii“ nominatur; omnium laborum particeps fuit, persaepe totum concilium in suam sententiam deduxit. Quae de auctoritate concilii sensit, approbata ²⁾, tres papae de jure et facto munere privati sunt; non sine magna controversia atque labore. Quum porro concilium sibi propositum esse putaret, ut haereticos prorsus deleteret, hac quoque in re Gerson summopere elaboravit. Nam, sicut totum concilium, reformationem in capite et membris tantum per legitimam potestatem ecclesiasticam fieri et firmo doctrinae catholicae fundamento niti voluit. Quo factum est, ut suaderet, ne Husso publica fides servaretur, ut Hussi tractatum de ecclesia condemnaret, morti ejus suffragaretur, Hieronymo ³⁾, nulla retractationis ratione habita ⁴⁾, captivitatem et mortem conscisceret ⁵⁾, pugnaret contra eos, qui calicem laicis vindicarent, solumque literalem sensum biblicorum sequerentur ⁶⁾. Quae agendi ratio arctissime cohaerens cum Gersonis toto studio modoque cogitandi, summa laude concilii totiusque ecclesiae romanae fruebatur ⁷⁾. Tanta fuit vis opinionum, quae animos hominum per medium aevum tenebant, ut ne optimi quidem et liberalissimi viri ab iis se vindicare possent. Attamen Gerson nimiam illam laudem, qua monachi florebant, improbens, fratres communis vitae ab iniqua accusatione defendit ⁸⁾; flagellantium crudelitati et licentiae sapienti et clementi ratione restitit ⁹⁾; effecit, ut inhonesta et periculosa Johannis Parvi doctrina de jure principum interficiendorum, quam jam prius summo capitis bonorumque discrimine rejecerat, eo inexpiabile odium ducis Burgundiae sibi conflans, a concilio constantiensi condemnaretur; sed non impetravit — id quod postulare non desiit — ut liber Johannis

1) Hardt 226 seqq. Wessenberg: Geschichte der grossen Concilien II, 114 seqq.

2) Wessenberg II, 138, seqq.

3) Hardt IV, 680 s.

4) Neander VI, 398.

5) Op. II, 387; Op. I 463.

6) Op. I, 460 seqq.

7) Petri de Alliaco judicium: de difficultate reformandi. Gers. op. II, 872.

8) Ullmann: Reformatoren vor der Reformation II, 181 seqq. Op. I, 467 seqq.

9) Op. II, 660 seqq. Wessenberg II, 253 s.

Parvi, qui eam doctrinam continuit, reprobaretur. Maxime vero Gersonis diligens et severum studium ecclesiae reformandae tum apparuit, quum quaereretur, utrum concilium cum papa, an sine eo pernicii ecclesiae mederi deberet. Omnes nationes se ad priorem sententiam contulerunt, excepta Deo devota, patiente, humili natione Germanorum. Gerson vero, concilium pisanum respiciens, pro opinione, quam sibi de auctoritate concilii finxerat, a partibus Germanorum stetit¹⁾. Concilium tamen novum papam elegit Martinum, cui nihil potius fuit, quam ut veteres novasque paparum leges confirmaret, singulos populos, quorum in libera et concorde agendi ratione summa vis concilii continebatur, separaret et cum iis pactiones conficeret; nihil fere curae in statu ecclesiae vere emendando collocans²⁾. Concilium a. MCCCCXVIII dissolutum et decretum est, ut quinque (deinde decem) annis interiectis alterum convocaretur. Optimos viros non fugit, concilium, quod sibi proposuerit, non assecutum esse; attamen Gerson usque ad finem synodi summa cum audacia et fortitudine jura et officia ejus tuitus est. — Aliis viris, sicut Petro de Alliaco, post concilium summis honoribus ecclesiae frui; Gersoni a principibus ecclesiae et Galliae discordanti in patriam ad munera redire non licuit. Diu hospes Germaniam pervagatur, denique pro humili et modesto animo suo in monasterio Lugdunensi ultimos vitae annos degit. Mysticae contemplationi, quae eo tempore, quo maxime rebus publicis gerendis implicatus erat, semper eum confirmaverat, tum ab omnium hominum oculis absconditus se dedit. Quam ecclesiae reformationem magnis et claris factis verbisque priore vitae spatio haud assecutus est, eam pueris educandis et ad Christum trahendis, monachis literis et devotione imbuendis perficere studuit³⁾. A piis pueris cinctus Gerson, vir, si quis alius, ob magnitudinem et submissionem animi admirabilis, e vita excessit a. MCCCCXXIX.

Quaerentem; quatenus propria indoles, quinam mores Gersonis fuerint, fugere non potest, omnia, quae egerit, ab animo mysticae pietatis et devotionis pleno profecta esse. Non, ut monachorum instar Deum coleret, hominum societatem et usum prorsus fugit. Quin imo ea fuit ejus natura, ut nihil humani a se alienum esse putaret. Quo factum est, ut per totam vitam magno quodam dolore et tristitia de mundi repugnantia et discordia afficeretur. Quamvis captus esset desiderio tranquillae vitae, quae in contemplatione versaretur, tamen res adversae et

1) Hardt vita Gersonis p. 43.

2) Wessenberg II, 220 seqq. Gieseler II, 4 p. 38 seqq.

3) Schmidt 60 seqq.

perversae, quas ubique animo percipiebat eum ad agendum impulerunt. Si quid susceperat, ex animo pio et religioso quasi ex fonte vires et constantiam hausit, quas a miti ejus natura alienas putaveris. In quaere, quae hominum salutem atque pacem proxime attingere videbatur, summam operam curamque posuit. Populo amorem honestatis et fidei praedicando et docendo iniecit; juvenes optimarum artium rerumque divinarum studiosos saniore instituit doctrina, pastores ad bonos mores, regimen ecclesiae ad priorum temporum simplicitatem revocavit. Quibus de rebus quid senserit, jam accuratius exponamus.

Gerson quum in artis formam theologiam mysticam ¹⁾ redigere vellet, bipartitam eam fecit; primum „de theologia mystica speculativa ²⁾“, deinde „de theologia mystica practica ³⁾“ egit. Quid his praecipue in scriptis de mystica theologia exposuerit, brevi comprehendamus.

Theologia mystica Deum, in quo omne imperfectum negat, ex iis quae animae devotae intrinsecus experta ac cognita habent, invenire studet ⁴⁾. Sicut vero anima altior est omnibus creaturis, sic ea, quae de Deo pii et devoti intimo animo experti sunt, perfectissima et certissima esse constat; nec ii, qui principia theologiae mysticae non experti sunt id prorsus intelligere possunt, quod experti asserunt; nec experti ea, quae sentiunt, satis clare verbis exprimere possunt. Attamen non desistendum est, quin experta narrentur; expedit enim etiam scholasticos viros, devotionis expertes, res ad theologiam mysticam pertinentes tractare, quum vel ipsi cum ea reconciliari vel ii, qui non devotione, sed scientia carent, per illos melius informari possunt ⁵⁾.

Ipsa theologia mystica speculativa proficiscitur a quaestione de natura animae humanae; cui quaestioni maxime operam dederunt, qui contemplationis mysticae cursui frenum disciplinae injicere conati sunt. Gerson hac in quaestione potissimum Hugonem et Richardum a Sancto Victore sequitur, sed eam multo diligentius tractat. Anima vires habet (nomine, non re distinctas) cognitivas et affectivas, quae sibi invicem respondent. Vires cognitivae complectuntur 1) intelligentiam simplicem, quae per naturalem quandam lucem derivatam ab infinita luce primae intelligentiae, i. e. Dei, principia prima seu regulas primas

1) Op. III, 361—398.

2) Op. III, 399—422.

3) De th. m. spec. 1. 2. — De th. m. pr. 12.

4) cf. Hundeshagen über die mystische Theologie Gersons (Zeitschrift für historische Theologie IV, 1.) Liebner ibidem V, 2. — Ritter, Geschichte der Philosophie VIII, 630—658. — Schmidt p. 67 seqq.

5) Theol. myst. spec. 3—8.

incommutabiles cognoscit; 2) rationem, per quam principia ab intelligentia simplice seu sensibus allata secundum regulas logicas tractantur; 3) vim cognitivam sensualem, cui phantasiam quoque et memoriam adscribit. Cuique harum virium cognitivarum arctissime jungenda est una trium potentiarum affectivarum (quod vocabulum tum voluntatem, tum id quod nos „Gefühl“ vocamus, tum utrumque significat), inter quas summum locum tenet 1) synderesis (nomen corruptum e graeco *συντήρησις*) quae suscipit immediate a Deo naturalem quandam inclinationem ad bonum; sequitur 2) appetitus rationalis, qui, rationi respondens, pro varietate notionum et affectuum variam induit formam, e. c. voluntatem, conscientiam; 3) appetitus sensualis vel animalis, qui spectat ad ea, quae vi cognitiva sensuali apprehenduntur¹). Gerson et in propria virtute singularum animi virium et in unitate, quae eas conjungeret, explicanda, attulit plures notiones, in quibus differt a Victorinis.

Sex viribus, in quas animum dividit, duplicem lucis virtutem et illustrandi et incalescendi tribuit. Tantum autem secundum ejus sententiam abest, ut vis cognitiva esse possit sine affectiva, ut quo magis utraque conjuncta et unita sit, eo magis unaquaeque perfecti gradum attingat. Quaeque vis cognitiva efficit animi motum et actionem: cogitationem, meditationem, contemplationem. In virtute harum actionum describenda maximam partem Victorinos sequitur; contemplationem eam esse dicit, quae secundo fruatur eventu, idque sine labore et propter antecedentem meditationis exercitationem et propter rejectam sensualitatem et propter gratiam a Deo datam. — Jam vero Adae lapsu atque originali peccato et vires et actiones in summam perturbationem inciderunt; intelligentia tota fere exstincta, ratio obtenebrata, sensualitas corrupta est. Unde accidit, ut multi, qui operam suam ad res spirituales perficiendas convertererunt, adducti sint in summa pericula et errorum et somniorum fanaticorum. Eadem ratione, qua vis cognitiva, vis affectiva in tres locos dividitur; quorum primus complectitur libidinem, alter devotionem, tertius dilectionem ecstaticam et anagogicam. Quae dilectio alacris et facilis, qua contemplatio vacare non potest, ad anagogicas et supermentales excessus deducit; hac dilectione theologia mystica prorsus nititur. Apparet Gersonem sibi hac in re non constare; expectaveris enim, eum asseveraturum esse, theologiam mysticam eadem ratione a vi cognitiva, qua ab affectiva proficisci. Attamen ab hac sententia prorsus abhorret; neque enim sensum (Gefühl), intimam animi vim, in qua vis cognitiva et affectiva per se unitae sunt, satis cognovit. Quare affirmat, contritio-

1) Theol. myst. spec. XVI.

nem melius Dei cognitionem assequi, quam rationem; dilectionem ratione superiorem esse. Quocirca, ut ejus sententia fert, theologia mystica, quae vi affectiva nititur et quid sit bonum quaerit, praestat theologiae speculativae, quae effecta vi cognitiva versatur in vero investigando. Theologia mystica se quodammodo supra se extollit; se non capit nec continet, neque laborem conclusionum rationis, neque magnam doctrinam desiderat¹⁾, procedens ex experientia intrinseca in tutum munitumque portum Dei invehitur, vocante Domino et secretis afflatibus velum mentis impellente²⁾. Sic definit et explicat vim naturamque amoris, ut summus et perfectus amor ex tribus partibus constet; ut rapiat per ecstasin, uniat, satisfaciat. Sermo Gersonis redundat, secundum morem mysticorum, exemplis et allegoriis, quibus ecstasin et unionem mysticam amanti cum amato, perfectam quietem animae exponat. Neque tamen ab aestu animi se abripi passus est in partes fanaticorum, qui nescio quam omnium animi virium et facultatum extinctionem mentisque in ipsam naturam divinam transitum somniabant; quasi prorsus translati in Deum naturam creaturae exuissent. Attamen amorem illum ecstaticum assequi studet, omnibus viribus inferioribus silentio et quasi somno oppressis, ipsaque mente neque se, neque alia recogitante.

Ex appetitu immediatae unionis hominis cum Deo, quasi e fonte, vigorem credendi et vivendi sumsit; sed haec mystica theologia erroribus, qui medio aevo gravissimas christianae religionis doctrinas infecerant, obnoxia fuit. Deus enim Gersoni non tam sanctus amor est, qui homines, ut sui similes et capaces sint, creaverit, quam summum bonum, cujus suavitate homo super se per ecstasin elatus fruatur. Ratio, qua hominem a se ipso et a mundo separari vult, ut Deum percipiat, magicam rerum considerationem attingit. Quum vero difficultas unionis mysticae potius innatae hominis naturae inhaerere, quam per peccatum effecta esse videatur, doctrina ejus Pelagianismum redolet. Haec etiam accuratius e tractatu Gersonis, qui institutionem et consilia theologiam mysticam exercendi continet, colligi potest. Theologiae mysticae omnes participes fieri, nec posse nec debere censet; in ea deligenda et vocationis Dei et propriae naturae indolisque et rerum externarum rationem

1) Quocirca plura mystica scripta ad vulgarem sensum et sermonem accommodavit, et scripturam sacram „imbuendo affectum scribentium“ intelligi vult.

2) Neque vero Gerson omnem cognoscendi praestantiam rejicere vult. Ipse enim amor quaedam cognitio experimentalis est. Si vero expertos Dei sapientiam cum infantibus lactantibus comparat, videmus, eum in amore multo magis delectationem, quam cognitionem spectare. (De simplificatione cordis. 15; De elucid. schol. myst. 11.)

habendam esse. Iis quorum est conjugii et liberis praebere victum, agrum colere, quaestum facere, ne praelatis quidem — nisi agendo contemplari, contemplando agere possint — licere se theologiae mysticae dare. Praecipue clericos et religiosos ad eum incumbere vult, quibus majorem perfectionis gradum assequi praecipit. Qui vero se ei totum dare aggressus est, eum summam curam adhibere admonet, ut sibimet-ipsi constet per totam vitam, ne distrahatur per negotia ad mundum pertinentia et revocantia, ne per pigritiam, superbiam, pericula, dubium viae eventum, tentationes, neve propter fugientem Dei consolationem a consilio vivendi amoveatur. Non dubitat, vitam mysticae contemplationi datam, vitae, cujus laus in actione consistit, anteferre ¹⁾.

Sed haec hactenus. Nunc breviter comprehendamus, quaenam vis in hac theologia insit. Namque ab ea potissimum profectus totam vitam disciplinamque ecclesiasticam emendare aggressus est. E studio immediati aditus ad Deum inveniendi evenit, ut in homine non tam operum, quam animi, ex quo proficiscerentur, rationem haberet; ut se magis ad scripturam sacram conferret, quam ea aetate fieri solebat. Superbam et fidei expertem philosophiam et theologiam scholasticam ad simplicis animi pietatem revocavit; populum erudit, ad amorem rerum divinarum, per scripta et sermones lingua vernacula habitos incitavit. Quibus in rebus quum usui ecclesiae repugnaret, tamen intra certos fines sese continuit, qui quales fuerint ex ipsa theologia ejus mystica intelligitur. Quae enim, quum a falsa Dei hominisque notione proficisceretur, non impedivit, quominus ecclesia romana sua auctoritate suisque institutis hominem a Deo separaret. Ne ab externis quidem operibus nimis aestimandis remotus fuit; nam theologia ejus non totam vitam firma certitudine, sed singulas tantum horas ecstático gaudio implevit; haec vero momenta speciem eximiae et meritoriae sanctitatis praebuerunt, quo varia pietatis genera atque alioquem gradum eorum effecerunt, qui se mysticae vitae dare potuerant et debuerant. Porro Gerson id non consecutus est, ut et animo pio et factis verbisque salvificis satisfaceret; ut pietatem mysticam fundaret ea veritate, quam scriptura sacra exhibet. Quocirca sinceram christianam veritatem non constanter sequitur, sed traditioni et doctrinae ecclesiasticae saepe eandem vel etiam majorem auctoritatem dat; et in errores scholasticorum, quibus pro virili parte resistere studuit, saepe incidit. — Id enim ei propositum fuit, ut ex omnium sententiis, quid veri continerent, perciperet; ut vera et falsa in aequalium doctrina vitaeque dijudicans, errores eorum refutaret, abusus emendaret. Sic my-

1) Ritter VIII, 656 seqq; Schmidt 83 s; Hundeshagen.

sticam theologiam et scholasticam unire studuit, Victorinorum et Bonaventurae potissimum vestigia premens; sic rectam rationem, quae inter theologiam ecclesiasticam et philosophiam intercederet, quaesivit. Quum vero jam diu vinculum, quod priore tempore utramque disciplinam conjungebat, ruptum et philosophia ab argumentis theologicis perscrutandis exclusisset, Gerson quoque philosophiam a theologia, sicut ancillam a domina, sicut tempus ab aeternitate, sicut naturam a gratia superari censuit¹⁾. Naturam vero et gratiam magis gradu, quam essentia inter se differre judicans, externa nec naturae rerum convenienti ratione fines utriusque disciplinae constituit. Quocirca theologos admonet, ne tempus in inutilibus nec ad salutem pertinentibus rebus conterentes, sibi ipsi et theologiae damnum et contemptum aliorum nomenque phantasticorum parent. Philosophos autem adhortatur, ne falsa quadam curiositate et singularitate fines philosophiae transgrediantur, ut, quae comprehendi non possint, et noxias et insolitas doctrinas omittant. Nihil contendit, philosophis esse rei cum locis doctrinae sacrae et fidei, praecipuum eorum meritum et munus consistere in cavendo, ne homines a theologicis affectibus decipiantur²⁾. Quia philosophia theologiae fundamenta, primaque elementa substernat, studium philosophiae theologiae antecedere vult; theologos autem praecipue scripturae sacrae perscrutandae operam dare debere, ut ad munus pastoris digne se praeparent. Quamvis verbi divini auctoritas summa sit, tamen libros canonicos traditione quam ecclesia custodiat, adjuvari; in ecclesia novas res, velut immaculatam conceptionem Mariae, divinitus revelari, auctoritatem ecclesiae et scripturae sese mutuo firmare³⁾. Propterea literalem, quem vocant sensum, esse quidem non negat; si vero quis — quod in Anglia et in studio Pragensi evenit — solo sensu literali niti velit, nulla ratione habita interpretationis ecclesiasticae, eum in erroris et haeresis discrimen incidere⁴⁾. Quocirca allegoricam interpretandi rationem ad biblia adhibet, biblicorum autem in vulgarem linguam translationem, „quae in grande praejudicium et scandalum catholicae veritatis vertat“ prohibendam esse, censet⁵⁾.

Jam apparet Gersonem se prorsus subicere fidei ecclesiae. Neque sane in ullo dogmate tractando aliquid profert, quod ab orthodoxia

1) Op. I, 132 s.

2) Op. I, 86 ss. II, 100 s. 248 cf. Ritter VIII 635 ss.

3) Op. III, 1330; I, 22 ss.

4) Op. I, 1 ss.

5) Op. I, 105; 459 s. IV, 623.

romana discrepet, nisi in doctrina de ecclesiae natura, quam infra explicabimus. Breviter tantum, quid Gerson de nonnullis locis dogmaticis senserit, memoremus. — Gerson Augustini doctrinam de praedestinatione restauraturus, eam tamen non constanter secutus est; nimis enim ecclesia ab Augustini ratione credendi, agendi, cogitandi recesserat. Sic evenit, ut Dei absolutum decretum Gersoni infirmum solatium esset, spem pro variis affectibus animi ejus fluctuantem redderet ¹⁾, ad patiendum, non ad agendum eum admoneret ²⁾. Neque enim cum Gersonis placito de libero arbitrio absoluta Dei praedestinatio convenit. Si homo naturalibus viribus „actus bonos moraliter, temporalium bonorum meritorios ³⁾“; homo regentus „actus meritorios vitae aeternae ⁴⁾“ perficere potest, nimis tenuis locus gratiae, nullus gratiae irresistibili relinquitur. Inde jam colligi potest, Gersonem de peccato, de virtutibus etc. semipelagianicas sententias ecclesiae approbasse.

Vidimus supra, eum philosophiam angustis finibus coercere; attamen ipse multum operae philosophicis quaestionibus dedit. Hac quoque in re nihil antiquius habuit, quam ut rectam philosophiae tractandae viam monstraret. Admonet philosophos, ut sententias verbis, veritatem magistrorum auctoritate superiorem esse meminerint, neve nimis paganorum fundamentis et argumentis nitantur. Quod ad ipsas ejus doctrinas philosophicas ⁵⁾, ex ipsa ratione, qua mysticam tractavit theologiam, apparet, eum in controversiis scholasticis, quas Nominalistae, qui dicuntur, (terministae) cum Realistis (formalizantibus) habuerunt, a parte priorum stetisse. Praeceptis et institutis Occami, venerabilis inceptoris, maximam partem utebatur; realismum ad multas falsas et haereticas sententias ducere putabat ⁶⁾. Quum omne philosophiae studium ab usu et experientia ducendum sit ⁷⁾, ratiocinationes in Deo cognoscendo nullius momenti esse censet; Deum omnino comprehendendi non posse, ac quia „unitissima essentia“ sit Deus, formalizantes errore vagari plures formas in eo et novas ideas admittentes.

Quocirca doctrinam, quae contendit, universalialia esse ante rem,

1) Op. I, 137 s.

2) Op. I, 145 s.

3) Op. III, 8.

4) Op. III, 59.

5) Ritter VIII, 626 — 658, Schmidt 95 ss.

6) Op. IV, 827.

7) „Philosophia dicitur scientia omnis procedens ex experientia“.

reijcit et pro insania habet, dicere, nullam intercedere rationem inter res, quales sint per se extra animum et inter notiones, quibus eas animo complectamur¹⁾. Attamen in ipsa theologia mystica signa quoque inveniri possunt, Gersonem realismum non prorsus pro falso habere; argumentis enim, quae plurima a Victorinis sumpsit, e. c. ascensione animi per inferiores gradus animi ad cognitionem Dei, absque eorum realismo vix uti potuit. Quocirca in doctrina ejus inclinatio quaedam ad adversariorum sententiam cernitur; atque sub finem vitae suae scripsit de concordia metaphysicae cum logica. Quamvis Gerson sibi non semper constet de ratione utriusque scholae uniendae, id tamen praecipue affirmat alio modo res „in conceptu nostro“ ac per se pro natura rei ipsius. Illud quoque realistas concedere vult, ipsum Deum aliam eamque sublimiorem notionem de rebus habere, quam in ipsis rebus insit²⁾; cui sententiae realistae vix consentire potuerunt. Sic accidit, ut studia ejus ad unionem utriusque scholae re vera efficiendam non multum valerent. Majoris momenti sententiae fuerunt, quas de rebus ad regimen ecclesiae pertinentibus protulit.

De ratione, quae intercedat inter ecclesiasticam (spiritualem) et civilem (saecularem) potestatem, per totum medium aevum verbis et gladiis multum pugnatum est. Is enim inter summos errores, quibus populi illius temporis impliciti erant, habendus est, quod pro notione ecclesiae, quam animo finxerant, fines saecularis, et spiritualis et in rebus publicis privatisque et in disciplinis inepte miscebant. Gersonis vero temporibus duae praecipue sententiae hac de re animos in contrarias partes distraxerunt; multi enim exstiterunt, qui nimiam, multi, qui minimam aut nullam potestatem ecclesiae ejusque capiti tribuere vellent. Gerson diversae horum opinioni quum moderari studeret, utramque potestatem, et spiritualem et saecularem immediate a Christo, non a papa pendere³⁾, ecclesiam vero omnibus rebus publicis constitutis a Christo superiorem esse⁴⁾, contendebat. Civilem enim potestatem pertinere ad corpora, ecclesiasticam vero ad animas in perpetuum duraturas;

1) „Subtilitas, si quaerit reperire in rebus ipsis secundum suum esse reale, tale esse, quale habent in suo esse objectali, est insania“.

2) „Ens quodlibet dici potest habere duplex esse, sumendo esse valde transcendenter. Uno modo ens sumitur pro natura rei in se ipso. Alio modo, prout habet esse objectale seu representativum in ordine ad intellectum creatum vel increatum“.
Op. IV 821.

3) Op. II, 178 seqq.

4) Op. II, 168.

regis igitur, cui proprium sit, ut imperet, errata puniat, corpora cruciet et occidat¹⁾, dignitatem et potestatem mutari, quin imo abrogari posse; ordines vero sacerdotum, quorum partes sint, ut orent, debita remittant, animas ligent et solvant, immutabiles esse putat²⁾. Potestatem civilem a servitute curiae romanae, hanc per illam a pernicie, in quam irruerat, liberari et purgari voluit³⁾. Etiam magis ab iis, quae papae de natura ecclesiae docebant, discrepat. Enimvero in symbolo nicaeno („unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam“) ecclesiam catholicam seu universalem toto genere ab apostolica seu romana disjunctam esse disputat. Illius enim caput Christum solum; papam, reges, plebejos membra inaequaliter disposita esse; papam vicarium tantum Christi, caput secundarium, vicem ejus in terris gerere, neque necessarium esse ad homines salvandos; eam nunquam errare, peccare, schisma pati, sed semper totam salutem nostram continere. Altera vero ecclesia apostolica seu romana particularis est, consistens e viris ecclesiastico munere fungentibus, et e papa, ejus capite; et ea quidem errare et peccare potest, neque ullam habet potestatem, nisi ei ab ecclesia catholica concessam⁴⁾. Quum vero ea sit natura ecclesiae apostolicae, ut, si quid falsi vel mali in eam irrepserit eamque diviserit, „executio potestatis et auctoritatis ecclesiae universalis valde impediatur“, concilii generalis est, in unione restituenda operam summam collocare. „Concilium generale quod repraesentat ecclesiam universalem, est aggregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum, ex omni statu hierarchico totius ecclesiae catholicae, nulla fidei persona, quae audiri requirat, exclusa ad sabubriter tractandum et ordinandum ea, quae debitum regimen ejusdem ecclesiae in fide et moribus respiciunt⁵⁾“. Tale concilium a pontifice quidem convocandum est, nisi forte suspectus est et ejus res vel potestas agitur; quod si acciderit, jus convocandi est penes cardinales, episcopos, reges⁶⁾. Concilium generale omnem potestatem ecclesiasticam complectitur, etiam auctoritatem papalem⁷⁾; nec in rebus

1) „id intelligitur de omnibus, unde nec papa, episcopus aut sacerdos transgressor legis divinae aut humanae excipitur (Op. II, 178.)“

2) Op. II, 213; 180 Op. III, 31 seqq.

3) Op. II, 246 seqq.

4) Tractatus de modis unendi et reformandi ecclesiam, c. 1; op. II, 2, 161 s.

5) Op. II, 205.

6) Op. II, 172, 215.

7) Op. II 231; 235 s.; 243; 279.

fidei errare potest¹⁾; leges et canones ferre aut abrogare ei licet. Regulas quidem divini juris, ut papatum, episcopatum tollere non potest, tamen omnes clerici, quin etiam papa decretis ejus, „tam quoad personam, quam respectu usus potestatis“ obedire debent²⁾. Papam eligere privare, deponere juris concilii est³⁾. Magnum Gersonis meritum est, ut unius hominis arbitrio salutem totius mundi permitti non posse, intelligeret; ut ad notionem ecclesiae universalis progrediretur. Quam vere, quum ab ecclesia romana, sicut genus a specie discrepare⁴⁾, a concilio generali repraesentari, et in hac infallibili concione cerni, censeret, tamen humanum et incertum institutum divina auctoritate in rebus fidei ornare voluit⁵⁾. Quam ob rem clericorum a laicis separationem, variosque ordines hierarchicos tuetur. Quum vero a nominalistarum partibus staret, discrimen, quod inter munus et eum, qui eo fungeretur intercederet, magnum esse judicavit⁶⁾: et pro mystica sua theologia meritum clericorum in pietate potius, quam in potestate et doctrina collocavit⁷⁾. Papae quidem „potestatem in iis, quae ad spirituale regimen ecclesiae proprie dictum respiciunt“ neque vero canonicam nec temporalem potestatem necessario tribuendam esse censet⁸⁾. Papas ab errore et peccato minime liberos esse, de muneris administratione ecclesiae seu concilio rationem reddere, debere; si quid mali egerint, puniendos, vel si extra culpam sint, ad utilitatem ecclesiae salvandam, a munere removendos esse⁹⁾.

Id Gerson egit, ut concilium potestatem immensam, quam papae sibi paullatim arrogaverant contra voluntatem Christi et Petri, contra jura et utilitatem omnium ordinum, civitatis et ecclesiae¹⁰⁾ limitaret et coërceret, ut innumerabiles paene modos, quibus non explenda pecuniae cupiditas pontificum utebatur, abrogaret¹¹⁾. Neque vero eum fugit papas

1) cf. Gieseler II. 4. 213. Hardt IV. 2. 200. Op. I, 8.

2) Op. II 125; 172; 231; 235; 243.

3) Op. II 172. 174.

4) Op. II, 164.

5) Op. I, 8.

6) Op. II, 128; 167; 235 s.

7) Op. II, 195 ss;

8) Op. III 34 ss.

9) Op. II, 167; 172; 24; 209 ss. 217 ss.

10) De modis uniendi. cap. 4. „priori tempore scripta et facta sunt quam plurima ad tenendam papatus dignitatem, quam Christus nunquam concessit aeternaliter. Liber sextus et clementinae arroganter imperatoris aliorumque supprimunt jura“. cf. cap. 17.

11) „reservationes, inhibitiones casuum, indulgentiarum venditiones; cardinalium commendae; distinctiones beneficiorum, prioratuum, monasteriorum etc.“ (De modis etc. 9. 16. 19. 24.)

concilio finito aut decretis ejus non staturos aut „contra ea dispensaturos et ea interpretaturos esse“, ne in malis suis consuetudinibus turbarentur¹⁾. Gerson hanc pontificibus potestatem esse et ab ipso concilio iis dari posse negavit. Quae repagula juris et officia quum pontifices perfrerint, subditos in illicitis et inhonestis iis obedire non debere²⁾, et ad vim res esse deducendas³⁾. Quod ad juris dictionem pontificum atinet, eam non immediate in omnes Christianos exercendam esse, sed solum „dum subest necessitas ex defectu ordinariorum inferiorum, vel dum apparet evidens utilitas ecclesiae⁴⁾“. Et illud quidem jus appellandi a papa in causis fidei ad concilium generale acriter cuique fideli vindicavit⁵⁾. Papae bona e donatione Constantini et aliorum — nullo peccato — possidere nec vero arbitrio suo de bonis clericorum et multo minus laicorum disponere possunt, quamvis habeant „dominium in iis quoddam regitivum, directivum, regulativum, ordinativum“. Possessiones ecclesiae non sunt pro eleemosynis habendae, ut optimo jure indignis adimi possint⁶⁾. Querelis de abusu terrenorum bonorum omnia ejus scripta abundant. Mirari non possumus, quod episcoporum jura acriter defendat: res gestas investiganti ei persuasum fuit, in primitiva ecclesia episcopos et papam ejusdem juris et potestatis fuisse; paulatim vero impietate et injustitia pontificum, potestatem episcoporum quasi exhaustam et dirutam esse⁷⁾. Si vero episcopi „simulacra depicta“ essent, auctoritatem concilii generalis vix sustineri posse. Nec minus curatorum, quos dicit, jura et officia a monachis, qui, quasi papae mercenarii, rerum novarum tum cupidissimi erant, defendit. Quae enim jura et munera curatis sint jure divino tributa (velut praedicandi, confessiones audiendi), illis invitis aut insciis mendicantes exsequi, fas esse negat⁸⁾. Permulta quum de sacerdotum ratione vivendi, dicendi, praedicandi emendanda scripserit, tamen coelibatum, qui dicitur, defendit, matrimonium sacerdotum majus malum, quam incontinentiam judicans⁹⁾. Pastores summi momenti esse in emendanda ecclesia quum animadvertisset, id efficere

1) De modis. etc. cap. 16, 9.; 12, 8. cf. Ullmann II, 702.

2) De modis. etc. cap. 24.

3) De modis. etc. cap. 5.

4) Op. II, 256. 174.

5) Op. II, 303 seqq.

6) Op. II, 246 seqq. — De modis. etc. cap. 22. 26. 27.

7) cf. Op. II 174. 200.

8) Op. II, 250. 256. 534. 437 etc.

9) Op. III, 917. cf. Schmidt 99 seqq.

studuit, ut moribus, pietate, doctrina ad populum trahendum ad Christum vigerent¹⁾.

Jam supra dictam est, Gersonem vitam, quae in contemplando versetur, ei, cujus laus in actione consistat, praeferre. Quamobrem vitam monachicam probandam quidem, sed non solam perfectam atque adeo pro religione esse, existimavit²⁾. Mendicantium fratrum numerum ac potestatem diminui, ceterorum ordinum jura et possessiones coerceri, omnes secundum regulam vivere et aptos esse vult ad praedicandum verbum Dei³⁾. Quamquam apparet, eum pietatem sacerdotum et monachorum devotioni laicorum rebus saecularibus implicitorum anteferre, tamen in cura, quam in populo et juventute erudienda et ad Christum trahenda collocavit, non minima ejus laus consistit. Praedicando necessitati populi sufficere studuit; saepe hoc, ut sibi persuaserat, summo et efficacissimo munere praedicatoris functus est, aequae coram papis, regibus, conciliis, viris doctissimis, atque coram populo. In orationibus vero sacris non doctrinae subtilis scholasticae rationem habendam esse, putat; sed animi et affectionis commovendae, ut inde amor et actio ejus, quod bonum sit, efficiatur⁴⁾. Nimias subtilitates et ab hominibus tradita et praecepta a sermonibus coram „statu burgensi“ habendis abesse vult⁵⁾. Nee negandum est eum haec praecepta quodammodo secutum esse; attamen a sensu literalis persaepe ad allegoricum et ad veterum Graecorum et Romanorum dicta, a simplicitate dicendi ad vulgarem sensum accommodata, a mystico et pio ardore concionandi ad inutiles et nimis subtiles scholasticorum quaestiones se avertit. Ultimis vitae annis parvulis ad Christum trahendis operam dedit, qua in re, quo amore et qua sapientia usus sit, intelligi licet e tractatu de parvulis ad Christum trahendis⁶⁾. Omnem seductionem, quae e verbis, imaginibus, libris, exemplo oriri possit, diligentissime a juvenibus removet et omni modo, praecipue per confessionem, eos ad bonum allicit.

Ea quae Gerson senserit, voluerit, egerit, cogitatione complectentibus, in promptu est, quaecumque optima summaque per medium aevum ab hominibus cogitata et perfecta sint, ea in hujus unius viri animo unita et conjuncta esse; quod fieri non potuisset, nisi dijudicasset, quid verum, quid falsum esset. Propterea in ipso Gersonis animo quasi pugna

1) Op. II, 542. 558.

2) Op. I, 467 ss;

3) De modis uniendi c. 9.

4) Op. III, 11 ss.

5) Op. III, 44.

6) Op. III, 277 ss.

erat oppositarum opinionum, quae animos aequalium distrahebant. Is vero ejus fuit animus, ut meliora sequeretur, mala et obsoleta fugeret. Quod studium pro illorum temporum statu atque natura, formam speciemque reformationis induit. Et omnia quidem studia, quae saeculo XVI reformationem ecclesiae effecerunt, jam in Gersone inveniuntur. Mystico enim animo insignis se ad biblia et laicorum curam convertit. Oppositus effrenatae pontificum arrogantiae defendit jura et officia populorum, regum, episcoporum, universitatis, conciliorum universalium. Neque tamen ad finem pervenit, quia a falso ecclesiae romanae principio profectus, omnia illa studia ad absolutam ecclesiae romanae auctoritatem retulit, ejusque perniciem non plane cognoscere, nedum sanare potuit. Quo factum est, ut studiis ejus debilitatis et depravatis, reformationem quidem ecclesiae in capite et membris vellet, sed ipsum caput et membra integra salvaque relinqueret; ut reformationem ecclesiae per ipsam, quae reformatione egeret, ecclesiam assequi studeret. Non negandum est, magnam omnium virium intentionem, quae concilia saeculi XV effecit, plurimum valuisse, ad viam verae reformationis aperiendam. Demonstraverunt enim, reformationem esse necessariam, papas vero eam perficere nolle, concilia non posse. Gerson reformationem multo latius patentem animo sibi finxerat, quam concilium constantiense assecutum est, sed sua doctrina ad eum, quem sibi proposuerat finem pervenire non potuit. Papae enim summam potestatem ecclesiasticam abjicere concilioque generali tradere haud licuit, nisi papali dignitate omnino sublata. Quod si concilio obediens papa sivisset, nulla ei potestas unitatis ecclesiae conservandae, inceptae reformationis perficiendae fuisset. Historia concilii basileensis satis superque demonstravit, hanc viam aut reducere in summam obedientiam paparum aut ad defectionem ab auctoritate eorum trahere. Non est operae pretium, quaerere, quam partem Gerson posteriore tempore secutus fuerit; eo vivo res in ultimum discrimen non deducta est. Illud quidem constat, eum doctrina, quam de natura et de vi ecclesiae sibi finxerat, inscium et invitum praecipuum dogma ecclesiae catholicae aggressum esse. Non igitur sine causa fuit, quod ecclesiae quidem auctoritatem summam se tenere professus, tamen sub finem vitae in otium refugiens, rebus ecclesiasticis non amplius se implicaret, in sequentem aetatem omnem operam et spem conferret. Quum omnia quae in populis, universitatibus, conciliis ad reformationem ecclesiae tenderent, sed ecclesiae romanae non contraria esse viderentur, Gerson, doctor christianissimus, complexus esset, neque tamen reformationem efficeret, ratio inde concludi potest, optima, quae ecclesia romana haberet, non suffecisse ad eam reformandam, sed tantum reformationem

perficiendam adjuvasse. — Quomodo singula elementa, quae Gerson cum doctrina ecclesiae romanae conjunxit, post eum separata, conformata, emendata reformationem ipsam effecerint accuratius perscribere conabimur, primum a Gallia ad ea, quae Wiclefus in Anglia perfecit, nos convertentes.

II. Johannes Wiclefus.

Inde a temporibus Innocentii III multi in Anglia, quae libertate et opibus floruit, exstiterunt, qui paparum avaritiam¹⁾ et simoniam, clericorum ignaviam et ignorantiam, fratrum mendicantium rationem agendi et concionandi, ut breviter perniciem, quae omnes ordines ecclesiasticos pervaserat, castigarent et emendare studerent. Quorum vestigia Johannes Wiclefus²⁾ pressit.

Natus est a. MCCCXXIV in vico quodam, cujus nomen ipsi datum; de juventute ejus nihil nobis traditum est. Inde ab a. MCCCXL Oxoniae in studium philosophiae et theologiae incubuit multumque in literis profecit³⁾. Ab aliorum sententiis discrepans, se ad biblia investiganda, jura anglica perscrutanda convertit. Namque sicut summo patriae populique amore instructus fuit, sic severa quadam omnium hominum auctoritatem et potestatem contemnente pietate excelluit. Vitia sceleraque cleri, quibus templum Domini pollutum fuit, honestum ejus animum tristitia iraque affecerunt et attentum ad signa temporis reddiderunt. *In simu-

1) Anno MCCCLXXVI vectigalia, quae papa ex Anglia accepit quinque partibus majora fuerunt, quam quae rex (Lewis, 31 s.).

2) Joannis Wiclefi dialogorum libri quatuor. 1753.

The life and opinions of John de Wycliffe by Robert Vaughan. Tom. II, ed. II London. 1831.

The history of the life and sufferings of John Wiclff. by John Lewis. 1720.

John Wycliffe und seine Bedeutung für die Reformation von Oscar Jäger. Halle 1854.

Lebensbeschreibung der bekanntesten Reformatoren vor Luther von Gilpin 1709 p. 1 — 100.

Lechler: Wiclif und die Lollharden. Zeitschrift für histor. Theol. 1853 p. 416 — 572; 1854 p. 167 — 266.

Lewald: die theologische Disciplin Wicliffes, ibid. 1846. 1847.

Neander VI, 174 — 228, Gieseler II. 3. 334 seqq.

3) „Doctor in theologia eminentissimus diebus illis; in philosophia nulli reputabatur secundus, in scholasticis disciplinis incomparabilis. Hic maxime nitebatur aliorum ingenia subtilitate scientiae et profunditate ingenii sui transcendere et ab opinionibus eorum variare“. Sic judicat Knighton, vir Wiclefo oppositus, cf. Vaughan I, 246 s.

latam pietatem Pharisaeorum novae legis acriter invehitur, novissima, quae dicuntur, tempora proxima esse contendens¹⁾. Vehementi et ad agendum pronò Wiclefi animo haud defuit occasio certaminis ineundi contra Christi inimicos. Richardus Fitzralph jam ante eum de fratrum mendicantium arrogantia, qua universitatis²⁾ et sacerdotum jura perverterent, conquestus, lite vero nondum finita³⁾, a. MCCCLX mortuus est.

Wiclefus invectionem excipit majore subtilitate et animi offensione³⁾. Ille enim, ut ei persuasum est, sunt potentissimi servi Antichristi, speciem angelorum lucis prae se ferentes. Verbum dei, jura reipublicae et ecclesiae violant; false altiore ordinum suorum sanctitate, melioribusque indulgentiis gloriantur; false, se mendicando Christi apostolorumque vitam imitari, dicunt et paupertatis speciem praebentes, summa in luxuria versantur, populum spoliunt, secreta reipublicae hostibus produunt⁴⁾. Inimici inexpiabiles flagrant iracundia; injustissime Wiclefum honorifico quodam munere praepositi collegii cantuariensis privant; hic frustra ad papam appellat, majora justitia et audacia, quam prudentia usus. Urbanus VI enim, quum longo intervallo interposito primus demum vectigal a rege Eduardo postulareret, populo regeque vehementer obsistente, Wiclefum quoque repugnantem expertus est. In determinatione quadam⁵⁾ contendit pro divino, naturali, civili jure Innocentium vectigali imponendo regi, se injuria atque simonia obstrinxisse nec quidquam Urbano antiquius habendum esse, quam ut injusta decreta irrita redderet⁶⁾. Parlamentum anglicum, cui causa et contra fratres mendicantes et contra papam proposita est, in utraque ab ea, quam Wiclefus tuebatur, parte stetit. Quibus factis Wiclefus multorum, ducis quoque Lancastriae, oculos in se convertit⁷⁾. Doctor, quum Oxoniae a. MCCCLXXII creatus esset, late auctoritas et provincia ejus patuit. Nec destitit ab impugnanda ecclesia, quae pietatem et subtilitatem ejus offendit. Magis etiam fallaciam et fraudem curiae romanae cognovit, quum a rege legatus missus duos annos

1) In primo, quem a. MCCCLVI scripsit, libro, hanc rem tractat: „The last age of the church“ (Vaughan I, 253 seqq.)

2) Dixit, fratres, juvenibus in suos ordines fraude alliciendis, effecisse, ut loco XXX millium, sex tantum millia in studio oxoniensi essent.

3) Scripta contra mendicantes permulta quidem extant, neque vero ordo neque tempus, quo ea scripsit, satis apparet, omnia quae in eos attulit, eo quod „fifty objections“ inscripsit, comprehendit (Lewis p. 20 — 27.)

4) cf. Vaughan I, 261 seqq.

5) Lewis 363 — 371.

6) Vaughan I, 284, seqq.

7) Vaugh. I, 305 seqq.

(a. MCCCLXXIV — a. MCCCLXXVI) Brugis degeret, ad cavendum, ne amplius pontifices munera ecclesiastica alienigenis puerisque darent. In Angliam, reversus, qua priore tempore in papam reverentia et temperantia fuerat, eam prorsus abjecit¹⁾. Jurisdictionem de personis et bonis sacerdotum false, dicit, papis etc. tribui, regibus demi²⁾. Quo factum est, ut rex quidem ei sacerdotium Lutterworti daret, adversarii vero eum errorum accusarent. Februario anni MCCCLVII in iudicium adductus, intercedente vero duce Lancastriae nihil de eo actum est³⁾. Nihil eum impedire potuit, quominus, quo fuit animo imbutus, intrepide rem suam ageret⁴⁾. At inimici quoque decreto suo stabant; postulaverunt a papa ut XIX sententias, quas e Wiclefi scriptis elegerant, condemnaret. Papa, iis morem gerens, placita Wiclefi de clero privando saeculari potestate et partim spirituali, praecipue vero divitiis, fonte omnis pestis et depravationis, condemnat. Nova de Wyolefo iudicando synodo convocata, iterum conatus ejus irritus factus est favore matris regis et populi⁵⁾. Quod Wiclefus jam diu de imminente paparum pernicie dixerat, id schismate anno MCCCLXXVIII exorto comprobatum est. Statim tractatum de schismate⁶⁾ edidit; ex hoc eventu, tamquam signo divinae irae ob peccata pontificum⁷⁾, deducens officium principum⁸⁾, tandem ad ecclesiae reformationem se conferendi⁹⁾.

In dies numerus eorum crevit, qui cum Wiolefo sentirent; existerunt aliqui inter principes ducesque¹⁰⁾, permulti in populo, qui ei fa-

1) Saepe immoderate in adversarios increpat; papam appellat: the proud wordly priest of Rome and the most cursed of clippers and purse-kervers. (Lewis 34) eique Antichristi nomen imponere solet.

2) Lewis 35.

3) Vaughan I, 354 seqq.

4) Vaugh. I, 361 seqq.

5) Wiclefus undeviginti illas sententias explicationibus auxit, quae multis suspicionem moverunt, eum, quae ante dixisset, timide revocasse nec vero jure hanc in suspicionem adductus esse videtur.

6) On the schism of the popes.

7) „It is not doubtful, that the sin of the popes, which hath been so long continued, hath brought in this division“.

8) „to maintain God's law, to recover the inheritance of the church, and to destroy the foul sins of clerks, saving their persons“. (Vaugh. II, 3 ss.)

9) Nullo tempore labores intermittens, Wiolefus tandem morbum gravem contraxerat. Fratres aliqui mendicantes veniunt, ut scripta sua revocet, eum admonentes. Ille vero: „Equidem non moriar“, inquit, „sed iterum fratrum malefacta speriam“. Nec fidem datam fefellit.

10) Supra diximus de duce Lancastriae et matre regis Richardi; accedunt Anna

verent eumque sequerentur. Quod quidem optimo jure ei contigit. Sicut enim omnis vis agendi e fiducia in Dei gratiam proficiscebatur, sic omnia verbo Dei metiebatur. Non solum summis rebus gerendis vel quaestionibus scholasticis exponendis (partes realistarum, qui dicuntur, summa cum subtilitate tuebatur) operam dedit, sed etiam saluti vulgi prospexit. Primus totam scripturam sacram in linguam vulgarem ad usum populi transferre sibi proposuit, propositumque perfecit¹⁾. Tale quum inceptum Gersoni periculosum esse videretur, quid miramur, quod multi Wiclefum acerrime vituperaverint? Tantum vero abfuit, ut horum clamore perturbaretur, ut summis circumdatus periculis²⁾, ipsam catholicam doctrinam de sacramento coenae sacrae aggrediretur. Duodecim in articulis (anno MCCCLXXXI) doctrinam de transsubstantiatione, quam dicunt, ut summam fraudem Antichristi impugnat. Non fugit eum, se adversariorum summum odium sibi collecturum, amicos quoque offensurum esse; nullo vero percussus timore, veritatem evangelii exstingui non posse, existimavit³⁾. Ab universitatis interdicto, ne haec doctrina doceretur, ad parlamentum appellat et quid de coena sacra sentiret, scriptis exposuit⁴⁾. Synodus Londini habita XXIV sententias ejus condemnat, plures amici ejus vexantur, ipse vero cogitur, ut, Oxonia relicta, Lutterwortum se conferat. [Papa postulavit, ut Romae rationem de modo docendi et agendi redderet, quod se facturum esse negavit, papam ad vitam apostolicam degendam admonens. Ultimos annos Wiclefus consumpsit Lutterworti, in ecclesia sibi credita imbuenda amore dei. Quo munere fungens, obiit a. MCCCLXXXIV.

Oculis perlustrantem, quae Wiclefus et quomodo ea egerit, fugere non potest, eum, ab omni mystica contemplatione otioque remotum, summa cum audacia et constantia omnem operam ad cogitandi et agendi studium retulisse. Ipsa vero animi indoles eum impulit ad actionem, quae et ad rempublicam populumque et ad disciplinam et ad ecclesiam

regina et nescio an dux Glocestriae. Deinde mentio Chauceri, patris anglicae poeseos, facienda est (Vaugh. II, 127 sqq.)

1) In scriptura transferenda vulgata, quae dicitur, interpretatione pluribusque commentariis (Nicolai de Lyra) usus est. (Neander VI, 195) Quae translatio ad linguam anglicam conformandam multum valuit. (cf. Vaughan II, 46 s.)

„The holy bible translated by J. Wycliffe and his followers ed. Forshall and Madden, Oxford 1850. T. 4“.

2) Multi enim exstiterunt, qui culpam seditionis eo tempore exortae in eum transferrent.

3) Vaugh. II, 58. 110. 116. Dial. IV, 189. 192.

4) Wicket. Vaugh. II, 64 ss.

pertineret. Ac primum summus patriae amor ei insitus fuit. Quum oraret pro salute omnium, qui Christum profiterentur, praecipue Angliae pacem et beatitudinem respexit. Pro indole ac moribus suis anglicae nationis verum et genuinum membrum fuit. Inde nata est, quam supra exposuimus, cura de juribus populi regisque conservandis et restituendis, de auctoritate et potestate, de lingua moribusque populi conformandis; inde quoque illa conjunctio rerum civilium et ecclesiasticarum, qua Angli semper excelluerunt.

Animus ingeniumque eum habilem ad theologiam scholasticam et biblicam miro quodam modo conjungendam reddiderunt. Quum enim scholastica disciplina id sequeretur, ut doctrinam ecclesiae veram esse, demonstraret, Wiclefus argumenta, quae probaret non e dogmatibus ecclesiae, sed e scriptura sacra hausit; attamen scholastica demonstrandi ratione usus est. Quae vero in rebus publicis literisque assequi voluit, arctissime cum honesto et devoto ejus animo conjuncta fuerunt. Hoc, quaecumque cogitavit et egit, nixa sunt. In scriptis suis praecipue in iis, quae ad vulgi sensum accommodavit, se humilem et ad poenitentiam paratum praebet; preces ejus ex intimo animi sensu proficiscuntur et significant immutabilem, quam in Deo reposuit, fiduciam. Ipse justam et honestam, duram et parcissimam vitam degit. In alios benignus fuit, miseros consolatus est, aegrotorum, pauperumque dolores lenivit. Non suum, sed Dei tantum honorem quaesivit; rerumque terrenarum amorem magis magisque exiit. Nec, contemporaliū vitia sceleraque respiciens, animo comprehendere potuit, quo modo Deus pro summa sua justitia tantam humani generis pestem pateretur. — Amor Dei, patriae, literarum, qualis in animo Wiclefi insitus fuit, in ejus ratione docendi cernitur. Quam quum pluribus verbis proponere velimus, a nonnullis dogmaticis locis incipiendum esse videtur.

In libro, qui „*trialogus*“ inscriptus est, summam theologiae Wiclefus comprehendit. More scholasticorum ab argumentis Deum esse incipit. Quod quidem duplici ratione demonstrare ei visum est. Primum enim, „Deus, inquit, est causa efficiens et finalis cujuslibet, quod causatur ¹⁾“; unde sequitur, ut Deus aeternus, immensus, infinitus, ubique praesens sit, nec dividi possit. Deinde vero aliam viam demonstrandi, quae „*ontologica*“ nominatur, ingrediens, „Deus“, inquit, „est quidquid melius est esse, quam non esse“. Propterea est Deus justus, intelligens, omniscius, omnipotens ²⁾. In deo vero omnia ad intellectum,

1) Dial. I, 4.

2) Dial. I, 10 seqq. Lewald 1846 p. 195.

quasi ad summam, revocat; Deus est intelligens, „est actus purus infinitissime intellectivus 1)“. Trinitas Dei in actu quodam cognoscendi versatur 2); eodem modo creatio mundi in intelligendo consistit, quod speciem „producendi ad extra“ habet. Quas ad sententias Wiclefi doctrinam de natura universalium permultum valuisse, apparet. Pergit enim, Deum id tantum producere posse, quod intelligere possit 3), Deum vero creaturas intelligere secundum ideas. Omnia necessitate quadam a Deo agi docet. Dei enim est „potentia ad se et ad alia cognoscendum“, „quantum vero potest se ipsum cognoscere (quod ad trinitatem pertinet) tantum se ipsum necessario cognoscit 4)“. Eidem necessitati Deus paret in producendo ad extra 5). Sicut vero in aliis rebus unus error vertit in alterum illi oppositum, sic in hac causa necessitas vertit in licentiam quandam et arbitrium, quod ipsa necessitate superior est 6). Quae placita, si ad hominum libertatem adhibentur, in doctrinam de absoluta praedestinatione deducant, necesse est. Omnes enim, quos ante ipsam reformationem testes veritatis exstitisse videmus, repugnant Pelagio, cuius doctrinam omnium hominum animos pervaserat, et cum Augustino, cuius nomen quidem ecclesia prae se ferebat, a cuius doctrina vero desciverat, omnia bona naturae et gratiae immediate ad Deum referunt. Quam vero Wiclefus praedestinationem docuit, eam Augustini severitate superavisse videtur. Wiclefus enim a Dei natura et potentia non ab hominum lapsu profectus magis cogitandi congruentiam et constantiam, quam pietatem hac in re secutus est. Quia Deus tantum secundum ideas intelligit et creat; idea mali vero non existit, Deus auctor peccati esse non potest 7). Atamen Wiclefus malo „secundum esse“ tribuit; est enim malum non per ideam sed per defectum ideae; sicut enim tenebrae non

1) Dial I, p. 16.

2) Dial. I, cap. 6.

3) „Nec Deus posset quidquam producere nisi ipsum intelligeret — idem est producibilitas creaturae et ejus intelligibilitas“ (Dial. I, p. 31).

4) Dial. I, 16.

5) „Sicut Deus ad intra nihil potest producere, nisi absolute necessario illud producat, sic nihil ad extra potest producere, nisi pro suo tempore illud producat“. (Dial. I, 28.)

6) „Quantum ad libertatem divinae potentiae, patet, quod est summe libera et tamen, quidquid facit, necessario evenit“ (Dial. I. 30), Apparet Wiclefum libertatem et necessitatem in Dei amore nondum conjunxisse.

7) „Deus non prohibuit hominem, ne sic peccet, quia hoc non fuit prohibibile, cum non fuit, nec potentia Dei se extendit ad hoc, cum hoc non est et potentia Dei se non extendit ad nihil, vel vacuum, vel non ens“. (Dial. I, 30. cf. I 27, 32.)

quidem videri, attamen sentiri possunt ab eo, qui luce fruitur, sic Deus malum respicit, id pro justitia sua puniens¹⁾. Ita fit, ut Deus malum vertat in bonum; malum enim auget pulchritudinem universi ad divinae justitiae manifestationem²⁾. Sicut in mundo creando omnia ad solam potentiam sic in mundo administrando ad Dei justitiam revocat, parum amorem Dei respiciens. Ita tamen demonstrat, omnia facta hominum, sive bona, sive mala, secundum quandam a Deo iis impositam necessitatem evenire³⁾. Sicut infans in mundo ductus et sustentus putat, se ipsum ire, ita homines libere suoque arbitrio agere sibi videntur, quum tamen a Deo coacti sint; (neque tamen sibi semper constat, in singulis enim actibus quandam libertatem hominum statuit⁴⁾. Et sic universa hominum multitudo in duas partes, praedestinatorum et praescitorum (reprobatorum), distrahitur, quorum illi ad gloriam aeternam, hi ad poenam perpetuam destinati sunt⁵⁾. Decretum Dei immutabile est; nec in terra ab hominibus plane cognoscitur; praescitus enim, virtutibus insignis, praedestinatus vitiis inquinatus esse videri potest; attamen „peccatum horale illius infinitum dispariter puniendum est, quam annuale hujus“; ille enim in finali impenitentia manet⁶⁾, hujus vero finalis perseverantia irrita fieri non potest⁷⁾. Quaerentem, quaenam horribilis hujus decreti Dei sit causa, Wiclefus ad arbitrium Dei rejicit. Justitia Dei vertit in arbitrium, hominesque quomodo peccatorum rationem reddere debeant, cum libertate careant, vix intelligi potest, et id quidem ipse Wiclefus sensit⁸⁾.

Vis peccati, quam ad hominis naturam habet, ad intelligentiam Wiclefus pertinere putat. Quum enim in intellectu summa virtus Dei hominisque cernatur, peccatum in ignorantia et stultitia consistit⁹⁾. Summa virtus igitur est sapientia. Adam stultitia lapsus est¹⁰⁾, ejusque peccatum secundum Dei aeternas rationes, effecit pronitatem hominum ad peccandum. Peccatum vero infinitum, idque gravissimum est, quia

1) Dial. I, 30, III, 153.

2) Dial. III, 148, 154, 157.

3) When God rewardeth a good work of man, he crowneth his own gift (Vaugh. II, 33). Deus necessitat singulas creaturas activas ad quemlibet actum suum (Dial. II, 73.). Omnia peccata mundi de necessitudine eveniunt. (Dial. III, 148.)

4) Lewald 1846. p. 224.

5) Dial. II, 73 s.

6) Dial. II, 97.

7) Dial. II, 99 seqq.

8) Dial. IV, 105.

9) Dial. IV, 151, 154 s.

10) „peccavit Adam contra sapientiam Dei patris, quam oportuit propterea incarnari.“

in eo cernitur infinita quaedam ingratitude in Dei infinitam gratiam¹⁾. Quocirca poena quoque infinita est, qua Deus est justitia. Pro illa, quam de vi atque natura peccati sibi finxit opinionem, Wiclefus magis poenam, quam culpam, quam angores conscientiae, magis externam, quam internam partem respicit.

Hominem suis viribus suaque virtute salutem sibi acquirere non posse, affirmat, sed omnia Dei gratiae debere²⁾; Christum igitur solum fontem nostrae salutis esse; neminem, ne sanctos quidem, laudandos esse, nisi in quantum vitam Christi secuti essent³⁾. Omnes igitur mediatores, quos humana mens invenit, rejicit, ut indulgentias, sanctorum cultus cett.⁴⁾ Ceterum doctrina ejus de Christi persona et opere scholasticorum doctrinae par est. Neque vero satis accurate et distincte justificationem hominis ad fidem solam refert; fidem enim (scholasticorum ex instituto, id, quod honestum est, septem dividit in virtutes, tres theologicas, quatuor cardinales) primam summamque virtutem existimat, nec satis justificationem separat a vitae sanctificatione. Quocirca nescio an plus, quam par est decem praeceptis tribuat⁵⁾. Summam, quam Christo tribuit auctoritatem, in scripturam sacram transfert⁶⁾; ibique ei multum controversiae cum ecclesia romana fuit. Libros veteris et novi testamenti (quibus „legi novae, verbo Dei, etiam libro vitae“ nomen dat) divinitus scriptos pari esse auctoritate⁷⁾, eaque summa vivendi esse putat. Scriptis igitur virorum doctorum, decretis conciliorum, legibus paparum cett. fidem dandam non esse, nisi cum bibliis consentiant⁸⁾. In scriptura vero interpretanda propriam sapientiam rejiciendam, tantum sensum literalem eruendum esse.

Si vero scripturam omnem grammaticae et logicae subtilitatem continere et ad eam interpretandam plures realistarum locos logicos necessarios esse putat, apparet, eum opinionem, biblia loco legis habenda

1) Dial. III, 94.

2) Vaughan II, 33.

3) Dial. III, 171 seqq.

4) Dial. III, 172.

5) Haud raro Wiclefus hominum operibus meritum tribuit — id, quod non semper negligentia factum esse videtur. (cf. Dial. III, 154 s.)

cf. Dial. III, 150; Vaughan I, 320 seqq.

6) „Ex fide Christus auctor proximus scripturae sacrae est infinitum praestantior, quam homo alius; ergo liber vitae vel scriptura proportionabiliter se habet ad quamcunque aliam assignandam“. (Dial. IV, 199.)

7) Lewald. 1846 p. 175.

8) Dial. IV, 199. III, 177. 175. Vaughan II, 313. 435.

esse, nondum prorsus abjecisse¹⁾. Maximi denique momenti Wiclefi placitum est de jure laicorum scripturae in lingua vernacula legendae; quae enim ad salutem necessaria sint, ea perspicua in bibliis inesse censet; quemque vero suae vitae rationem redditurum esse²⁾.

Sequitur, ut sententiam Wiclefi de sacramentis exponamus. Sacramentum, inquit, si est rei sacrae signum sive invisibilis gratiae visibile signum, haec definitio non solum ad septem sacramenta ecclesiae romanae, sed ad permulta alia pertinere videtur³⁾. In doctrina de coena sacra, quae summa totius cultus divini est, optime natura ecclesiae romanae cernitur. Quamobrem jam multi antea, alius aliam hujus doctrinae partem impugnauerant. Wiclefi⁴⁾ animum atque ingenium praecipue offendit, quod ecclesia substantiam panis et vini commutari doceret consecratione sacerdotis in substantiam corporis et sanguinis Christi, remanentibus tantum accidentibus, quae vocant, panis et vini. E quo intelligi potest, huic doctrinae id propositum esse, ut demonstretur, ordinem sacerdotum divina quadam vi instructum esse, regnum gratiae non constitui posse, nisi regno naturae ad nihilum redacto funditusque extincto. In hunc sacerdotum et ecclesiae errorem et arrogantiam Wiclefum invecutum esse, ejus indoli optime congruit⁵⁾. In hac doctrina refutanda maximam partem ad argumenta jam prius a Berengario allata redit⁶⁾. Argumenta vero et exegetica et logica sunt. Ad illa, verba „hoc est corpus meum“ sic ait intelligenda esse, ut „hoc“ referatur ad panem, quem

1) Apparet igitur, Wiclefum non satis intellexisse, quoniam diversitas et quinam usus familiaris inter fidem et rationem, inter biblicam et scholasticam disciplinam intercederet. Quocirca illud a Lutero recte dictum esse videtur: „Es hat den Wicliffe und die Sophisten betrogen die unzeitige Logika“.

2) cf. Vaughan II, 48 seqq.

Let every man wisely with meek prayers and great study and also with charity read the words of God and holy scripture (Vaughan II, 66 s.)

3) Dial. IV, §. 1.

4) Dieckhoff, Die evangelische Abendmahlslehre I, 154 seqq. Lechler (1853) p. 445 seqq. Lewald (1847) p. 597 seqq. — Dial. IV, §. 1—§. 10. Vaughan II, 64—68; 425—434 Lewis 285 s.

5) Doctrina de transsubstantiatione, primum a Paschasio Radberto exposita, coenae sacrae realem Christi praesentiam vindicat. Berengarius non solum transsubstantiationem, sed realem quoque praesentiam Christi rejicit. Scholastici post Berengarium pluribus modis Paschasii doctrinam commutaverunt. Concilium lateranense quartum eam MCCXV ratam habuit.

6) Dial. IV. 185. „Ego Berengarius“. cf. Vaugh. II, 425 concl. III. Dieckhoff I, 155—158 cf. I, 48 seqq.

Christus sumpserit in manum¹⁾. Quod ad logica, doctrinam de accidentibus sine subjecto, non solum supervacuum esse²⁾, sed etiam repugnantiam includere et contrariam esse Dei potentiae et sapientiae³⁾. Neque iis assentit, qui identificationem panis et corporis Christi statuunt⁴⁾, neque iis, qui impanationem defendunt, (comparantes unionem sacramenti et rei sacramenti cum incarnatione Dei) quia sic de Christo omnia dici possint, quae de pane, velut eum a muribus edi etc.⁵⁾ — In sua sententia explicanda Wiclefus non tam distincte et definite loquitur, quam in alienis refutandis. Id quidem ei persuasissimum est, panem et vinum post consecrationem adesse⁶⁾. In interpretandis verbis Christi „figuralem quandam, habitudinelem praedicationem“ non „essentialem et identificam“ statuit⁷⁾. Elementa igitur non nisi figurae et signa corporis et sanguinis Christi sunt, licet signa efficacia⁸⁾. Attamen realem quandam praesentiam Christi docet, nulla ratione habita eorum, quae vel Berengarius dixerat, vel ille sensus, quem verbis novi testamenti tribuerat, postulare videbatur. Et illud quidem sic perspicuum reddere studet, ut dicat, alia ratione Christi corpus in coelo, alia in sacramento coenae sacrae esse; in coelo, substantiali, corporali, dimensionali; in sacramento vero, virtuali, spirituali, sacramentali modo⁹⁾; in coelo multo realius et verius, quam in sacramento. Attamen, „Eucharistia, inquit, habet virtute verborum sacramentalium tam corpus, quam sanguinem

1) „Iste panis est corpus Christi, ergo iste panis est et per consequens manet panis et sic simul est panis et corpus Christi“. Dial. IV, 190.

Dial. IV, 186.

2) Vaughan II, 64 seqq. Dial. IV, 194.

3) „Deus nihil facere potest, nisi probabili ratione, nec destruit naturam impeccabilem, nec confundit notitiam naturaliter nobis datam“.

Neander, 198 seqq.

4) Dial. IV, 202 s. Vaugh. II, 425 concl. 5.

5) Dial. IV 202 s.

6) „It is bread, the same that it was before“ (Vaugh. II, 311.)

Vaugh. II, 425. Lewis 285 etc.

7) Dial. IV, 200, 204.

Ideo certum est ex fide, istam sententiam „hoc est corpus meum“, sicut alias ei similes (rupes, agnus) in praedicatione secundum habitudinem acceptandam esse.

8) Apparet, eum Zwinglianam doctrinam quodammodo attingere.

Vaugh. II, 425 concl. 1.

9) „Virtualis, quo benefacit per totum suum dominium secundum bona naturae et gratiae. Modus autem essendi spiritualis est, quo corpus Christi est in eucharistia et sanctis per gratiam; et tertius est modus essendi sacramentalis, quo Christi corpus singulariter in hostia consecrata“ (Vaughan II, 428 s.)

Christi vere et realiter ad quemlibet ejus punctum¹⁾." Non negandum est Wiclefum de corpore Christi, quomodo se in coelo habeat, nimis sensualiter²⁾, quale vero in sacramento sit, nimis spiritualiter cogitasse. Wiclefum, qua constantia est in cogitando, videmus, sicut in notione Dei definienda necessitati nimiam vim tribuit (Determinismus), sic in via mediisque salutis describendis spiritualem quandam docendi rationem adhibuisse. E quo intelligi potest, eum affirmare quaerenti, quis corporis Christi sit particeps, quum ad mensam Domini accesserit, neminem nisi fidelem, corpus et sanguinem edere³⁾. Sequitur, ut hostiae adorationem ut falsam rejiciat⁴⁾. — In alios quoque ritus, qui post Petrum Lombardum in numero sacramentorum habebantur, haud mediocriter invecutus est. De baptismo nihil novi affert⁵⁾. Sacramentum confirmationis scripturae sacrae et rationi repugnare, fraude diaboli et episcoporum inventum esse censet. Sacramentum ordinis sacerdotum nec characterem indelebilem imprimere, neque a scriptura sacra deduci posse⁶⁾. — Matrimonium sacramentum quidem esse fatetur, sed non omnes ritus ad id pertinentes approbat⁷⁾. Ad poenitentiam, confessionem coram Deo, nec vero coram sacerdote ad salutem necessariam esse contendit⁸⁾. Unctioni extremae naturam sacramenti tantum tribuendam esse, quatenus praedestinata sit auditio precis sacerdotis. —

Cum allatis Wiclefi argumentis romana doctrina de ecclesia, quae omnem salutem nostram in hierarchico statu ecclesiae consistere affirmat, nullo modo consociari potest. Ii, secundum Wiclefi sententiam, in membris ecclesiae numerandi sunt, qui a Deo ad aeternam salutem praedestinati sunt⁹⁾. Ecclesia vero tres in partes dividitur, in ecclesiam mili-

1) Vaugh. II, 425 concl. 4. cf. Dial. IV, 204. s.

2) „corpus Christi manet sursum in colis stabile et immotum“. (Dial. IV, 205.)

3) „Nullus viator sufficit oculo corporali, sed fide Christum videre in hostia consecrata“. (Vaugh. II, 425 concl. 2.)

4) Lechler (1853) p. 451.

5) De quaestione, utrum liberi non baptizati damnati sint, annon, nihil certi pronuntiat. (Dial. IV, 217 s. Lewald (1847) 615 seqq.)

6) Dial. IV 224 seqq. Vaughan II, 308 s.

7) Dial. IV, 241 seqq.

8) Qua cum doctrina arctissime conjunctum est, quod Wiclefus merita sanctorum, thesaurum ecclesiae, venditionem indulgentiarum, porro vim bonorum operum ad statum mortuorum, quam prius quidem concessit, et doctrinam romanam de purgatorio rejicit. (Vaughan II, 6, 287 seqq. 297.)

9) All, who shall be saved in the bliss of heaven, are members of holy church and no more (Vaughan II, 279.)

Sed vere dicitur corpus Christi mixtum (scilicet e sacerdotibus et laicis), quod

tantem („corpus praedestinatorum, dum hic viat ad patriam“), in dormientem (corpus praedestinatorum in purgatorio patientium), in triumphantem (quae beatos in patria quiescentes continet)¹⁾. — In universa ecclesia quis sit re vera Christianus, solus Deus novit, penes quem potestas residet homines aut in praedestinatatis aut in praescitis habere. Hominibus non licet iudicare, aliquem esse membrum ecclesiae, aut aliquem damnare, excommunicare, cett. nisi hoc forte iis revelatum est²⁾. — Quae quidem doctrina ecclesiae romanae doctrinae quam maxime contraria est. Supra diximus, ecclesiam romanam docere, ecclesiam in terra non esse, nisi visibilem. Gerson visibilem romanam ecclesiam saepe errare et peccare videns, aliam romanam, aliam universalem esse cognovit; attamen universalis ecclesia, ut ille eam cogitatione informaverat, magis finibus propagatis, quam interna natura mutata a romana disjuncta est. Wiclefus primus asseveravit, ecclesiam corpus praedestinatorum, eamque invisibilem esse. Quum vero doctrina ejus non tam ex usu et experientia vitae, quam ex ingenio acuto et sibi constanti profecta sit, cum falso id quoque, quod ecclesia romana veri habuit, resecurit. Omnia enim a Dei aeterno decreto deducens, Wiclefus ad media salutis, sanctificationem et societatem, quae inter vera membra ecclesiae intercedere debet, non ita, ut par est, respicit. Ecclesiam invisibilem esse ratus, visibili nullum locum invenit; quaerenti, an alicubi et ubi sit ecclesia christiana, nihil certi respondere potest; quia notas externas necessarias esse negat. Fieri non potest, quin huic doctrinae doctrina de munere ecclesiastico respondeat. Quum ecclesia romana clericis peculiarem non solum muneris, sed quoque personae dignitatem tribuat, Wiclefus vim et efficaciam muneris virtute singuli hominis contineri contendit. Si sacerdos, inquit, mandatis Dei sufficit, optimas hominibus operas praebet³⁾, sin autem in peccato mortali versatur, munus perdit, nec sacramenta recte vel digne administrare potest⁴⁾. Haud disputatione opus esse videtur, qua demonstramus hanc sententiam ita comparatam fuisse, ut hominibus summa de salute dubia movere deberet. —

verbis praedestinationis aeternis cum Christo sponso ecclesiae copulatum est. (Dial. IV, c. 22.) Praeterea vero alio quoque sensu mixtam ecclesiam cognoscit: Mixed and seeming body, chosen and hypocrites including (Vaugh. II, 280).

1) Dial. IV, 22.

2) Dial. IV, 22.

3) they are very prophets of God and holy angels of God and the spiritual lights of the world (Vaugh. II, 259.) The highest service, that men may attain to on the earth, is to preach the word of God. (Vaugh. II, 14.)

4) Vaugh. II, 312; I append. concl. 8. 9. 10. 13. 14. Lewis 89.

Priusquam ad Wiclefi argumenta, quae de rebus ecclesiasticis emendandis attulit, accedamus, breviter mentio rationis, quam in historia consideranda sequitur, facienda est. Totam enim historiam ad certamen regni Christi et Antichristi reducit; quod quum jam summum in discrimen adductum esse, sentiat¹⁾, ultimum iudicium proxime imminere ait. Inde magna illa severitas et constantia in omnibus, quae egit et cogitavit; inde vehementissima contra hierarchiam romanam, quam servam Antichristi duxit, pugna; inde persuasio de ecclesiae pernicie, quam in defectionem a Christo et verbo ejus cernit et in efferenda propria potentia, sapientia, justitia²⁾. Quae defectio ad omnes partes muneris Christi pertinet. Biblia solam vivendi et credendi regulam continere negantes, papae et concilia se in rebus fidei falli non posse, contendunt; nova praecepta et instituta, ab hominibus inventa pluris, quam aeterna Dei verba aestimantur. Nemini vero obediendum est, nisi id, quod vult, cum scriptura sacra coniungi potest. — Porro ecclesia potestatem ligandi et solvendi, quae tantum Dei est, sibi falso usurpavit³⁾. Quocirca et ecclesiae antistites sancti nulliusque iudicio obnoxii et potestate cujusque „excommunicandi, canonisandi, vel aliter declarandi⁴⁾“ instructi esse iudicabantur. Tantum abest, ut Wiclefus has sententias probet, ut in clero Antichristi potestatem potissimum cernat, pontificem ab humillimo quoque vituperari et accusari posse⁵⁾; omnes poenas et absolutiones ecclesiasticas nihili pensandas esse, censeat, nisi homo jam antea a Deo et a se ipso aut absolutus aut excommunicatus sit⁶⁾. Praecipue vero injustae excommunicationis nullam rationem habendam esse⁷⁾. Christum enim homines salvare, non damnare voluisse. — Clerum studio potestatis suae augendae discordiam et injustitiam in mundum intulisse et praecipue de possessione et iurisdictione bellum nefarium

1) Apparet enim, eum metientem homines non ordine, sed usu, qui inter eos et Christum aut Antichristum intercedebat, a doctrina romana de ecclesia abhorre et in aliam melioremque deduci debuisse. (cf. Dial. IV, c. 40. Vaugh. I, 254 ss; II, 26 ss; 205 s.)

2) Vaughan II, 217 seqq. 245.

3) Wordly prelates blaspheme against God, the father of heaven, by taking to themselves a power, which is especially and only his, that is a power of absolving from sins and of giving a full remission of them (Vaughan II, 284.).

4) Dial. IV, c. 22.

5) Ecclesiasticus, etiam romanus pontifex legitime a subditis corripit ad utilitatem ecclesiae et tam a clericis, quam a laicis accusari potest. (Vaugh. I, 436 concl. 18.)

6) Vaugh. I, 433 s. concl. 7. 8. 13. 14. II, 249, 284, 286. Dial. IV, 17.

7) Vaugh. I, 435. concl. 11. 12.

contra laicos movisse. Possessionem habere clericis non licere, e Christi dictis (velut Matth. 10, 9 s.) concludit¹⁾. Duas vero rationes possidendi esse statuit: „Homo habet temporalia aut titulo originalis justitiae aut titulo mundanae justitiae; illo titulo vel titulo gratiae justorum sunt omnia cetera²⁾ sed longe ab illo titulo civilis possessio; — habere civiliter, cum necessitat ad sollicitudinem circa temporalia et leges hominum observandas, debet omnino clericis interdici³⁾“. Propterea „in bonorum dotatione recipienda graviter peccaverunt clerici⁴⁾. Omnis clericorum possessio, quae simonia dicenda est, injustitiam, avaritiam, luxuriam efficit et reipublicae damna affert⁵⁾. Respublica vero divini juris est; ejusque potestati clerus quoque subjectus est⁶⁾. Regis et reipublicae non ecclesiae est administrare bona ecclesiastica, et iis, si salus patriae aliter detrimentum caperet, vectigalia imponere⁷⁾. Porro clerici in populum nefas admittunt, quum omnia bona, quibus abundant, in pios usus bonaque opera largiri debeant⁸⁾. Decimae sacerdotibus solutae, dona „eleemosynae voluntariae“ sunt, quocirca Christus et Apostoli decimas non imperaverunt⁹⁾. Eisdem fere argumentis Wiclefus nititur in jurisdictione, quam papae sibi arrogaverunt, judicanda. Id enim papae petiverunt, ut bona et personae clericorum a reipublicae jurisdictione libera essent¹⁰⁾. Cui studio exemplum Christi, Caesari vectigal dantis, et omnia jura, quibus pax et bona constitutio reipublicae nitatur, contraria esse, Wiclefus demonstrat. Reges et infimos subditos omnibus injuriis clericorum obnoxios esse, nulla data occasione clericorum in iudicium reipublicae vocandorum. Quum Wiclefus quotidie videret, clericorum arrogantiam laicorum

1) Clerks — possessioners are traitors to God, to lords and to common people (Vaugh. II, 250 s.)

2) Quod dictum non tendit ad statum reipublicae evertendum, sicut Wiclef adversarii saepe dixerunt, aliam enim de civili possessione sententiam habet.

3) Dial. IV c. 17 — cf. Vaughan 432 s. concl. 4 et 5; Vaugh. I, 390 s.; II, 233 seqq. I, 364, II, 435.

4) Dial. IV, c. 17.

5) These worldly clerks would never cease if unchecked, until they had destroyed kings and lords with their regalia and power (Vaugh. II, 229.)

6) Vaugh. II, 229 231. 241. I, 103.

7) For the chief lordship of all temporalities in this land, both of secular men and religions, pertains to the king (Vaughan II, 103.)

8) The ample revenues are known to be poor men's goods rather, than the property of clergy (Vaughan II, 192, Gilpin p. 92.)

9) Dial. IV, c. 17. Vaugh. II, 98; 103 seqq. 250 s. 253, 239.

10) Vaugh. II, 102, 230 s.

et civitatis jura violare, et inde evenire, ut jam nulla vitia a clericis aliena putarentur, ut parvus numerus fidelium Christi servorum omni modo ab antistitibus ecclesiae vexarentur et injuste punirentur, haud desiit, rempublicam adhortari, ut illa jura conservaret, haec vitia abrogaret. Neque tamen hoc vi aut armis omnibus rebus evertendis efficit vult, sed via justitiae et amore¹⁾. Propterea principum et patronorum civilium simoniam in muneribus ecclesiasticis deferendis non impune praetermittendam esse putat. Quamquam eum non fugit, tam usitatam saecularium quoque esse simoniam, ut vix munus ab honesto viro et pauperibus, quos dicit, sacerdotibus accipi possit, tamen sperat, saeculares multum ad vitia cleri abroganda collaturos esse²⁾. Malos et inhonestos sacerdotes vitae rationem reddere, puniri, omnes negotiis et muneribus saecularibus renuntiare, ad apostolicam vitam redigi³⁾, rempublicam vero in malis clericis puniendis capiti eorum parcere debere, („sparing their persons“,) neque enim juris hominum esse censet, supplicio capitis quemquam afficere. Eos penes quos emendandi jus et potestas sit, (laici quoque decimas malis sacerdotibus adimere debent) si officio desint, culpae et vitiorum, quae non abrogaverint, participes esse⁴⁾. A bonis vero sacerdotibus reges et principes injustam oppressionem defendere debere, ut occasio docendae et discendae doctrinae christianae suppeditetur, ut evangelium, „freely and truly“ praedicetur⁵⁾.

His de hierarchica ecclesia generaliter allatis, singulos gradus et ordines hierarchicos minime auctoritate scripturae sacrae niti addit. In primitiva ecclesia secundum Pauli epistolas (I. Tim. 3. Tit. 1.) nonnisi duos ordines fuisse, sacerdotum et diaconorum; inter presbyteros vero et episcopos nullam intercessisse discrimen. Quocirca pontificum, episcoporum, cett. dignitatem non divini, sed humani juris esse, et statui primitivo ecclesiae restituendo operam dandam esse. Inprimis in pontifices invehitur, ut manifestos Antichristos, qui maxime in culpa sint. Si tamen summus vicarius Christi, successor Petri statuendus sit, id munus

1) Vaugh. II, 239 seqq.

2) Gilpin; 86 seqq. Vaugh. II, 287 s.

3) Dicit reipublicae esse: to bring the clergy to that holy life, which is exemplified and commanded by Christ, and restore secular lordship to secular men. (Vaugh. II, 249. cf. Vaugh. II, 233. 246. Vaugh. I, 433 s. concl. 6. 16. 17. 18. Lewis. 62 s.)

4) Gilpin p. 90. Vaugh. II, 246 seqq.

5) Vaugh. II, 242 seqq.

ad optimum quemque referendum esse videtur¹⁾. Cardinales et praelatos, quos „caesareos“ nominat, post solutionem Satanae²⁾ inventos esse dicit. — Argumenta, quibus Wiclefus docet, hierarchiam esse reformandam, demonstrant quidem, eum pietate et justitia ad eam vituperandam commotum esse et ad biblia omnes res revocasse. Attamen, nulla ratione habita rerum, quae tunc erant, eum statum, quem in ecclesia primitiva fuisse vidit, imitari et plane restituere studuit. Unde accidit, ut multa per se bona et honesta damnaret et nimis externas res respiciens in errorem oppositum ei, quem in ecclesia romana vituperaverat, incideret. Damnum omnium honorum in ecclesiae detrimentum vertere debebat, nec sperandum erat, rempublicam umquam eas, quas Wiclefus ei tribuit, partes bene tuituram esse. Verbis enim novi testamenti, institutis primitivae ecclesiae non prorsus legis naturam exuerat.

In exponendis officiis sacerdotum ab argumentis suis Wiclefus non descivit. Honesta vita et agendi ratio inprimis sacerdoti necessaria est³⁾; propterea nullo caractere indelebili a laicis separatus, iudicio et fraternae laicorum adhortationi obnoxius est. Attamen vivendi ratione apostolica insignes, omnibus divitiis et honoribus sacerdotes renuntiare; omne tempus, omne studium, omnem operam in praedicando, orando, verbo Dei discendo, sacramentis administrandis, vita pie sancteque degenda⁴⁾ collocare debent. Summi vero momenti ei praedicatio fuit, quae cum a romanis sacerdotibus aut omnino non aut raro, a fratribus mendicantibus ad pessima proposita persequenda adhiberetur, Wiclefus maximam laudem sibi ea in lucem proferenda comparavit; ab evangelio enim praedicando omnibus temporibus vera vita profecta est. Quod ut bene et saepe populo nuntiaretur, doctrina et exemplo Wiclefus admonet. Praedicando bene, Deo, inquit, et hominibus optima opera praebemus, Christi, prophetarum, apostolorum exempla et praecepta explemus⁵⁾.

Quod ad modum concionandi adinet Wiclefus sermones sacros ad scripturam sacram interpretandam (postillating) compositos et a scholastica subtilitate et curiositate remotos, ad sensum et usum vulgarem

1) For moreness of Christ's vicars is not measured by wordly moreness, but by this, that his vicar sues more Christ by virtuos living. (Vaughan II, 435.)

2) „Satans mille annos post Christum natum solutus est“.

3) Pass other men in holy prayers, holy desire and holy speaking, in counselling and teaching the truth. (Vaughan II 312.)

4) In preaching and also in praying, in the giving of the sacraments, the learning of the law of God and the rendering of a good example by purity of life, in these should stand the life of a priest. (Vaughan II, 19.)

5) Vaugh. II, 12; 14 seqq. 17 seqq.; 190.

accommodandos esse censet. Iis tum animos ad virtutis et fidei amorem incendere, tum abusus et vitia hominum, potissimum sacerdotum, castigare studuit. Ad hanc praedicandi praestantiam, qua ipse excelluit, pauperes, qui dicuntur, sacerdotes instituit, tota vivendi ratione insignes. Non vituperabant illi quidem beneficia ecclesiastica habentes, sed ipsi ea plerumque non ambierunt, quia¹⁾ metuebant, ne in simoniam inciderent, ne bona pauperum profunderent, — quaecunque enim bona ad vitae usum et cultum non necessaria sunt, pauperum sunt — praepositis dona usitata offerentes, ne denique, quasi glebae adscripti, melioris occupationis occasionem negligèrent. Longis et rubris (in signum majoris perfectionis) vestibus induti, nudis pedibus terras peragrantes, in triviis, foris, domibus, collibus, quando et ubicunque homines attentos inveniunt, evangelicam veritatem praedicant. Victum e donis voluntariis ducunt. Veniam concionandi ab episcopis nec petunt, nec veliti parent. Nullam enim, Wiclefus putat, praelatis etc. obedientiam deberi, nisi jussa eorum cum scriptura sacra convenient²⁾. E vivendi et docendi ratione, quam Wiclefi discipuli sequebantur, concludi potest, eum catholicam doctrinam de diversitate praeceptorum et consiliorum, quae vocabantur, evangelicorum, quam alias improbat, nondum plane rejecisse. Porro sicut omnem Christianorum depravitatem ita a sacerdotibus deducit, ut laicorum culpam parum respiciat, sic quae ad meliorem statum restituendum affert argumenta praecipue ad sacerdotes pertinent, perparum laicorum ratione habita. Neque enim per praedicatores terram peragrantes effici potuit, ut societates christianae nova vi vitali imbuerentur, ut communis Dei cultus recte floreret, ut instituta, quae omnium animos unirent et ad bonum perficiendum incitarent, ex ipso societatis animo exorirentur. Pauperes, quos Wiclefus doctrina sua auxit, sacerdotes multis in rebus memoriam Waldensium revocant, multa quoque iis cum fratribus mendicantibus communia sunt. Wiclefus enim per totam vitam in mendicantes tanto ardore animi invectus est, quanto nescio an in neminem, et id quidem, quia eos discipulos periculosissimos Antichristi duxit, qui potissimum speciem angelorum lucis simularent, quasi vitam praedicando evangelio et paupertati darent. Quae per se ad salutem hominum maxime necessaria et utilia esse putat, ea a mendicantibus monachis in malum verti censet. Propterea totam eorum vivendi rationem falsis argumentis niti, summa subtilitate et audacia primus demonstrat. Primum, inquit,

1) cf. Wiclefi tractatum: „Why poor priests have no benefices“. (Vaugh. II, 169 seqq. Gilpin 91 seqq.)

2) Vaugh. II, 182 seqq. 317.

votum eorum, cujus sponsione in perpetuum obligantur, inhonestum est ¹⁾; saepe enim efficit, ut officia, quae quisque in se ipsum et alios habet, violentur. Deinde exercitationem virtutis, quam fratres postulant, vituperat. Mendicationem, qua fratrum religio tota fundata sit ²⁾, exemplo Christi, praeceptis scripturae sacrae, legi naturae, saluti reipublicae contrariam esse ³⁾. Omnino vitam in contemplatione et solitudine monasteriorum versantem improbat ⁴⁾. Deinde fratres castigat, quod eo superbiae venerint, ut „suam privatam religionem“ majoris esse sanctitatis dicant, quam communem ordinem et religionem Christi ⁵⁾, et vanis ejusmodi verbis multos in ordinem suum fallaciter illiciant. „Haud minor“, inquit, „abusus consistit in „literis fraternitatum“, quibus, si cui eas dent, persuadeant, eum post mortem meritorum ordinis ejusque membrorum participem fore; venditionem precum bonorumque operum significare evidentissime spiritualem fratrum superbiam et periculum, in quod populum adducant; atque illud quidem eo magis, quod contritionis nullam mentionem facientes indulgentias vendant“ ⁶⁾. Quibus perpensis mirari non possumus, quod Wiclefus fratres mendicantes arctissime cum „solutione Satanae“ conjunctos esse judicat ⁷⁾, quod in eos ut in servos pontificum ⁸⁾, culpam doctrinae de transsubstantiatione, et abusum indulgentiarum imprimis confert.

A proposito nostro non alienum esse videtur, quaerere, quid Wiclefus de modis Dei colendi senserit. Manifesto apparet, eum id sequi, ut in cultu omnia per se ad Deum proxime animum ducant. Propterea adorationem sanctorum — quos re vera sanctos fuisse, non ex fide credimus ⁹⁾ — improbat, nisi quatenus ad Christum magnificandum valeat ¹⁰⁾.

1) Vaugh. I, 268; II, 98 seqq.

2) Dial. IV, p. 264.

3) Dicere, Christum mendicasse „summam blasphemiam et haeresim manifestissimam“ esse ducit. (Dial. IV, 270. cf. IV. c. 28 et 29; p. 265; Vaugh. I, 269.)

4) Christ especially commandeth his apostles and disciples, not to close themselves in cloisters, nor churches, nor in caves. (Vaughan I, 190.)

5) Dial. IV, 282. Vaugh. II, 200, 270 s.

6) Dial. IV, 271, 276 s. Vaugh. II, 191 s.

7) Dial. IV, 280.

8) Quocirca nomen „fratres papales“ iis dat. (Dial. IV, 282.)

9) Dial. IV, c. 17.

10) „Ideo multi (in quibus et Wiclefus habendus esse videtur) putant, prodesse ecclesiae, quod, cessantibus istis omnibus festivitibus sanctorum, solum Christi festivitas observetur“ (Dial. III, c. 30; cf. Vaugh. II, 312. ann. 100; II, 294.) — Unum tantum locum in scriptis ejus me invenisse memini, in quo Mariam invocet. (Vaugh. II, 434 sive 117.)

Eadem de causa adorationem imaginum aspernatur¹⁾. Se opponendo ceremoniis et ritibus ecclesiae romanae eo pervenit, ut omnia, quae ad templa pulchra et excelsa reddenda pertinent, contemneret et negligeret. Eadem ratione cum ritibus missaticis²⁾ cantum in honorem Dei rejicit; inprimis vituperat, quod soli sacerdotes canant, atque eo usque progreditur, ut cantum haud multum ad Deum bene colendum afferre dicat. Neque musica templi Salomonis neque hymni angelorum coram Domino ei persuadent, cantum a vera pietate animum non abducere³⁾. Secundum finem cultus divini, quem sibi finxit⁴⁾, praedicationi verbi maximum momentum in cultu divino tribuit nec fructum, qui e communi Dei cultu atque etiam christiana arte profluit, satis aestimat.

Jam vero, si comprehendimus ea, quae Wiclefus praestitit; negare non possumus, eum testem veritatis evangelicae et quasi prophetam reformandae ecclesiae verbis et factis exstitisse. Pietati et acumini ejus disciplina et dogmata catholica non suffecerunt. Ad biblia tanquam ad fontem veritatis normamque vivendi omnia revocat, ecclesiam romanam audacter impugnat. Munere suo sacerdotali administrando, scriptis ad populi sensum et linguam accommodatis, propagandis bibliis in vernaculam linguam translatis, discipulis suo animo imbutis emittendis hominum animos ad Christum ejusque vitam imitandam convertit. Auxilium petens a republica, (inprimis a parlamento, rege, principibus) potentiam et divitias cleri ad minimum reduci ipsumque clerum emendari vult. Wiclefus fuit tanta ingenii vi, ut multa tam cogitando inveniret, quam agendo efficeret, quae ad ecclesiam reformandam necessaria et utilissima essent. Nemini ante eum contigerat, ut tam firmis et gravibus argumentis nixus novam ecclesiae formam appeteret; ut tanta animi constantia et audacia omnes partes ecclesiae ab uno principio profectus aggrediretur. Ea ratione, qua notionem Dei sibi finxerat, qua media vimque salutis animo agitabat, qua statum ecclesiae modumque Dei colendi emendandum esse judicabat, pelagianam et magicam ecclesiae romanae doctrinam, arrogantiam hierarchiae, quae sibi divinam omnemque terrenam potestatem vindicabat, refutare studuit. Id manifestum est, eum fines ecclesiae romanae transgressum esse⁵⁾. Attamen argumenta

1) cf. Vaugh. II, 296.

2) Vaugh. II, 294 et 290.

3) Gilpia 69 seqq. Vaugh. II, 311 s.

4) to inform the mind of the worshipper and to improve his devotional affections. (Vaugh. II, 311.)

5) Quocirca concilium constantiense doctrinam ejus damnavit ossaque comburi jussit. (Vaugh. II, 347.)

ejus multis de causis ad meliorem statum ecclesiae universae adducendum non suffecerunt; neque enim omnia, quae rejecit, interno animi certamine et experientia usuque vitae superaverat. Principium formale, quod in scriptura sacra, pro summa solaque regula vivendi et credendi habenda versatur, Wiclefus diligentius tuitus est, quam quisquam eorum, qui ante eum reformationem ecclesiae romanae appetiverant; quum vero principium materiale, quod in fide evangelica consistit, non accurate comprehendisset, sed hac in re doctrina romana et disciplina scholastica nimis implicitus esset, scripturam sacram non ab omni specie legis novae liberare potuit. Unde ad verbum biblia saepe interpretatus, ad verbum praecepta ejus et apostolorum instituta imitatus est ¹⁾. Propterea id quod ecclesia veri et boni habebat, haud satis intellexit, sed maximam partem cum eo, quod falsum esse cognoverat, abrogari voluit. In omnibus locis theologice forma spiritualis doctrinae ejus perspicitur, sicut supra demonstratum est. Nova, quae in medium protulit, argumenta, ei quasi aliena fuerunt, quia non contendendo aut nitendo, ut suam salutem assequeretur, ea saluti obvia esse expertus erat. Unde accidit, ut magis ad objectivam, ut hoc utar, quam ad subjectivam partem se converteret. Id in doctrina ejus de peccato et de salute acquirenda cernitur et in mediis, quae adhibenda censuit ad reformationem. Id enim in hierarchico sacerdotio oppugnando inprimis secutus est, ut jura reipublicae defenderet et externum statum ecclesiae ad regulam primitivae ecclesiae revocaret. Multo minus populi, singulique hominis necessitati et ob eam causam internae vitae societatis christianae subvenit.

Quae quum ita sint, Wiclefi doctrina ad totam ecclesiam reformatam sufficere potuisse non videtur, neque etiam aequales ejus ad eam efficiendam satis praeparati erant. Historia sectatorum ejus hoc se sic habuisse demonstrat.

Wiclefus in omnibus ordinibus reipublicae fautores et discipulos nactus et pauperes, qui ejus vestigia premebant, sacerdotes ministros habuit, qui ad doctrinam suam late propagandam, et in futurum conservandam apti esse videbantur ²⁾. Quocirca jam Wiclefo vivo sibi magnum odium et vexationem monachorum et episcoporum conflagant. Neque vero adversariorum studiis neque morte Wiclefi, Lollhardi, quod nomen

1) Jusjurandum dici, bellum geri, homines capitis damnari vetuit, et sacerdotibus apostolicam vitam imposuit, quae in rebus externis quoque exemplum Christi et apostolorum imitaretur.

2) „mediam partem populi aut majorem sibi acquisivit“. (Knighton apud Lechler (1853) 494.)

eorum magis magisque usitatum fit¹⁾, commovebantur, ut a praedicatione evangelii secundum praecepta Wiclefi desisterent. Disertis orationibus, quibus tum animum ad Deum amandum incitabant, tum omnium ordinum, inprimis sacerdotum vitia animadvertabant, ecclesiae errores detegabant et concordia doctrinae insignes eo pervenerunt auctoritatis et audaciae, ut anno MCCCXCIV parlamentum ad ecclesiam anglicam secundum suam doctrinam reformandam, sine successu quidem, attamen impune adhortarentur. Quo suscepto perterritus clerus a rege auxilium ad haereticos compellendos petivit, neque vero regnante Richardo II, multum profecit. Rerum vero facies prorsus immutata est, postquam Henricus IV. ad usurpatam regiam dignitatem confirmandam animos clericorum legibus contra Lollhardos datis sibi reconciliare studuit. Jubet, haereticos in carcerem conjici, pertinaces comburi, omnes clericis suspectos libros tradi et deleri²⁾. Clerici non dubitant, his decretis uti; multi comprehensi, nonnulli combusti sunt³⁾.

Neque clerici ad auctoritatem, qua Oxoniae memoria Wiclefi floruit, delendam attenti, operam suam perdiderunt⁴⁾. Quin imo virum, de patria optime meritum et regis summam benevolentiam expertum, cui nomen erat Cobham, in rogam intulerunt anno MCCCCXVII⁵⁾. — Res adversae, in quas Lollhardi inciderunt, multa quidem consilia eorum frustrabantur, et detrimenta afferebant; attamen iis saluti fuit, quod per eas a rebus publicis gerendis et a theologia scholastica ad solam pietatem animi avocabantur, ab humilis enim animi fide neque ab hominum potestate et sapientia reformationem proficiendi oportuit⁶⁾. Paullatim evenit, ut una pars eorum propius ad ecclesiam romanam accederet, altera modum, quem Wiclefus in suis sententiis servaverat, paullum excederet⁷⁾. Omnino magis magisque naturam absconditae sectae acceperunt, sacerdotum et monachorum vigilantiam et crudelitatem metuentes. Quocirca

1) Nomen Lollhardorum e vocabulo „lullen, lallen, lollen“ exortum est. Lollhardus igitur est homo, qui submissa voce saepe et frequenter cantat (Moshemii Instit. hist. eccl. p. 589.)

2) „Lex de haeretico comburendo“ anno MCCCC data est. (Vaugh. II, 357.) anno MCCCCVIII praedicatio sine venia episcoporum, et clericorum vituperatio coram laicis vetita est. (Lechler 529 s.)

3) Lechler, 522 seqq.

4) Lechler 528 s.

5) Gilpin 10 seqq. Lechler 531 seqq. Vaugh. II, 363 seqq.

6) cf. Lechler, 544 seqq.

7) Id quod concluditur e refutatione eorum, per Thomam Waldensem suscepta (Lechler 559 seqq. 571.)

raro tantum eorum mentio fit, medio saeculo XV. In secretis conventiculis pietatem exercebant et cognitionem bibliorum per manus tradebant. Propterea a populo „biblemen“ nominabantur; sibi ipsi vero nomen „known men“ dederunt, eo significantes, se a Deo cognitos esse, eumque cognoscere¹⁾. Plures exstiterunt, qui eos non vi, sed argumentis convertendos esse putarent²⁾; sub finem autem saeculi XV, et initio sequentis, divinatio iudicii imminentis ecclesiam romanam ad majorem asperitatem in Lollhardos anglicos et scoticos commovit usque ad id tempus, quo ipsa reformatio desideria et vota diu in animis voluta explevit³⁾.

Ex historia sectatorum Wiclefi in Anglia apparet, doctrinam ejus non satis imbutam esse ea vi et virtute veritatis et certitudinis, quae totam ecclesiam novo vigore impleret; tamen eam rebus adversis emendatam et purgatam omni vexationi adversariorum restitisse. — Quae argumenta Wiclefi et sectatorum ejus ad ecclesiam reformandam si cum consiliis Gersonis comparamus, summam diversitatem inter ea esse, manifestum est. Gerson enim, ut supra diximus, in omnibus iis rebus operam posuit, quae centum annis revolutis ipsam reformationem effecerunt, quo tamen in studio auctoritatem ecclesiae tenere voluit, tantum invitus fines ejus transgrediens. Wiclefus vero, quum ei res erat cum ecclesia romana, non tam reformatione, quam pugna et certamine in Antichristum opus esse putavit.

Ille reformationem per ecclesiam quaesivit, hic nullam spem in ecclesia romana posuit, extra eam salutem quaesivit. Id vero eo assequi studuit, ut scripturae sacrae auctoritatem ecclesiae auctoritate superiore esse contenderet. Gerson biblia quidem magis tractanda esse, intellexerat, salva vero ecclesiae majore auctoritate. Quum in hoc Wiclefi summa laus maximumque meritum consisteret, multa argumenta conclusit, quae a Gersonis doctrina prorsus abhorrent. Inde orta est refutatio multorum romanorum dogmatum, quae Gerson summo studio tuebatur. Wiclefus vero mysticam contemplationem (quae, ut summa totius vitae Gersonis erat, ita ad reformationem perficiendam multum valebat) nullo loco numerans, non satis ad principium, quod vocatur, materiale, pervenit; quocirca spiritualis et infirma ratio dogmatum est, quae sibi finxit.

1) Lechler (1854) p. 200 cf. Galat 4, 9.

2) In iis praecipue Pecoock nominandus est, qui soli rationi nimium tribuendo, Lollhardos a scriptura sacra, clericos ab ecclesia pro summa regula habenda avocare non potuit; denique haeresis condemnatus est. (Lechler (1854) 183 seqq.)

3) Quantum Wiclefi doctrina ad Bohemorum reformationem efficiendam valuerit, infra quaerendum est.

Neque ea ratio, quae inter philosophiam utriusque intercedit, praetermittenda esse videtur: Gerson scholae nominalistarum, Wiclefus realistarum addictus fuit¹⁾; uterque philosophorum inutilem subtilitatem abrogare studuit; ille a mystica, hic a biblica theologia proficiscens. Idem fere discrimen, quod in rebus dogmaticis, etiam in rebus ad instituta ecclesiae pertinentibus inter utrumque est. Gerson fines doctrinae catholicae de ecclesia extendit, Wiclefus prorsus novam sibi cogitatione finxit. Gerson ordines hierarchicos necesarios ad bonum statum ecclesiae nec mutandos esse dixit. Wiclefus totam hierarchiam rejicit, neque ullam dignitatem praeter honesta vita acquisitam, neque ullam virtutem sacramentorum a malo sacerdote administratorum agnoscit. Gerson rempublicam quodammodo ab ecclesiae potestate liberam esse contendit; Wiclefus plenam, quae ei debetur, libertatem vindicat; quin imo modum excedens, viris ecclesiasticis nihil rei esse debere cum bonis et potestatibus terrenis putat. Gerson multam operam in populo pietate imbuendo eoque erudiendo collocavit neque a cura liberorum abhorruit. Wiclefus populo scripturam sacram dedit, et evangelicae orationes ejus et sectorum ejus vehementer animos populi excitaverunt et confirmaverunt; neque vero tam sincero amore, quam Gerson mysticus, liberos bene educandos curavit.

Sic intelligitur, Wiclefum, Gerson superato, novum principium in lucem edidisse. Neque tamen ei contigit, ut quod inceperat, ab omnibus partibus absolveret. Alii exstiterunt, qui opus ab eo inchoatum persequerentur.

III. Johannes Hussus.

Moravi et Bohemi a graeca ecclesia ad baptismum suscipiendum commoti, deinde cum ecclesia romana conjuncti, paulatim se ad omnes ejus ritus accommodaverunt. Memoria prioris libertatis labore et studio, quod Carolus IV ad totum statum Bohemiae emendandum convertit, renovata est. Universitas, Pragis condita, cura in populo erudiendo scholisque emendandis posita, ad incrementum salutis communis summi

1) Nominalistarum scholam maximam partem ii sequebantur, qui reformationem praeparabant, atamen Wiclefi et Hussi (qui Platoni et Augustino plurimum tribuebant) exemplum demonstrat, realistarum quoque disciplinam a sententiis ad reformationem pertinentibus non abhorruisse.

momenti fuerunt. Ingenium Slavorum simulque nova quaedam pietas in animis hominum excitata est. Exstiterunt in ipso populo plures viri, qui praedicando evangelio magnam ad animos hominum vim habent¹⁾. Quorum in numero primus Conradus ab Austria (ab Waldhausen) memoria dignus est. Inde ab anno MCCCLX Pragis populum ad veram sinceramque poenitentiam a mendicantium levitate avertit, Christi *παρονομα* prope instantem indicans. Etiam majore successu usus est Milicius Moravus, qui relictis divitiis et honoribus veram vivendi et concionandi simplicitatem didicit. Principum et pauperum, sacerdotum et monachorum animos movit; quin imo multas meretrices ad piam vitam ingrediendam adduxit. Papae et ecclesiae obnoxius, tamen Romam profectus in porta ecclesiae Petri haec verba fixit: „Antichristus jam venit“. Ab odio mendicantium vix Urbanus V, papa eum defendit († MCCCLXXIV). In magno numero discipulorum Milicii praecipue Matthias de Janow doctrina et pietate excelluit. Non aequae ac Milicius ad agendum pronus, vitam silentio degit, librosque subtilitate, doctrina, pietate insignes scripsit²⁾. Pio animo scripta prophetarum veteris et novi testamenti perscrutans, regnum Christi et Satanae in extremum et vehementissimum discrimen deductum esse cognoscit; magnoque desiderio ejus temporis tenetur, quo Christus ministros suos spiritu Eliae et Enoch impleturus et ad victoriam ducturus, ecclesiam reformaturus sit. Omnium ordinum vitia, inprimis mendicantium superbiam, multitudinem inanum rituum et legum ecclesiae castigat; justificationem per solum Christum absque omni humano merito, unitatem „ecclesiae electorum, quae solum et unicum corpus Christi sit“, per schisma paparum haud dissolutam, praedicat³⁾. Profectus a nova pia vita societatum ecclesiasticarum⁴⁾ monachis majorem sanctitatem non tribuit; sacerdotum superbiam, qua se supra laicos efferant, vituperat. Ad laicorum pietatem augendam jus et officium, quam saepissime vel potius quotidie ad coenam sacram accedendi, iis

1) Palacky: Geschichte der Böhmen III, 1. 161 seqq. Neander VI, 228 seqq. Gieseler II, 3. 323 seqq.

2) Summi ejus operis: „De regulis veteris et novi testamenti“ pars in Hussi operibus (I, fol. 376 — 472) invenitur (cf. Palacky III, 1. annot. 215.) Ingenium ejus his verbis ejus bene significatur: „Ea quae hic conscribam vel conscripsi maxime in oratione et per orationem accepi et intellexi ex lectione bibliae atque didici ex consideratione vigili et sedula eorum, quae in saeculo moderno geruntur et ex comparatione temporum antiquorum“ (Pal. 1. 176. cf. Gieseler II, 3. 381.) cf. „Ueber Matthias von Janow als Vorläufer der deutschen Reformation. Wissenschaftliche Abhandlungen von Neander. ed. Jacobi. 1851“.

3) Neander VI, 280 cf. 266.

4) Neander VI, 287, 292, 295.

vindicat; quum vero synodus anno MCCCLXXXVIII contrarium ratum habuisset, ejus placito obsecutus est¹⁾.

Horum virorum studiis quum effectum esset, ut populus verae pietati percipiendae idoneus esset; Hussus eorum conatus excepit²⁾. Johannes Hussus, natus in vico Hussinecz, anno MCCCLXIX (s. a. MCCCLXXXIII) juventute in rebus tenuibus peracta, Pragae se contulit a. MCCCXCIII, ut studio philosophiae et imprimis theologiae se daret. Studio pro illorum temporum more finito magister et anno MCCCXCVIII professor theologiae factus est. De priore parte vitae Hussi nihil fere certi nobis traditum est. At haud alienum a re esse videtur, breviter statum Pragae perscribere. Pragae, quaecumque res Bohemorum animos movit, primum in discrimen deduci solebat. Pragae slavica natio, unam partem urbis sola tenens, Germanorum, qui praecipue ordinem civium implebant, privilegia crescentemque auctoritatem aegre tulit et abolere studuit. Quod studium cum religione arctissime cohaesit; Bohemi enim pietatem bibliis et populo accommodatam amplectebantur; Germani vero a parte hierarchiae stabant. Praecipue haec controversia in studio generali pragensi cernitur, in qua disciplina scholastica et instituta academica nondum vetustate sancita erant. Quamobrem Bohemi, realistae, permagna privilegia Germanorum, qui nominalistarum doctrinam tuebantur, haud frustra sibi vindicare coeperunt³⁾.

Quae quum ita essent, Hussus a pueris eximia pietate, humilitate, amore in Deum et in homines, imprimis in Bohemos, insignis, a parte Bohemorum laetetur. Cum Stanislao de Znaim, praeceptore Stephano Palec, Hieronymo, cui nomen est Pragense, vinculo amicitiae parisque doctrinae conjunctus fuit. Non sine magno dolore et animi repugnantia intellexerat, ecclesiam multis et magnis abusibus laborare, populique

1) Mathiam calicem laicis vindicasse non est probabile (cf. Gieseler II, §. 121 ann. 14. Pal. III, 1, 180.)

2) Palacky: Geschichte der Böhmen III. 1845.

Hus und Hieronymus, Studie von Helfert. 1853.

Gilpin p. 151 - 234: Neander VI, 310 - 491.

Gieseler II, 3. 390 418.

Die reformatorische Theologie des Johann Hus von Franz Schwabe (theol. Liter. blatt zur Kirchtg. 1851. 22. 23. 53 - 56. 1852. 18. 19.)

Johann Hus von Lüders 1854.

Johann Hus von Dr. Sander 1855.

Joannis Hus et Hieronymi historia et monumenta. 1558.

Johannes Hus Predigten übersetzt von Nowotny. 1854. und 1855. 3 Hefte.

Gerichtliche Anklage des Mag. Hus. Studien und Kritiken 1837 p. 125 - 152.

3) Pal. III, 1. p. 190. 228 s.

salutem negligi, Wiclefi scriptis confirmatus et admonitus est, ut ea, quae sentiret, in lucem ederet¹⁾. Commilitonum amorem, quum sibi non tam splendidis factis, quam benignitate, modestia, vita severa et pia, haud mediocri doctrina conciliasset, anno MCCCCI decanus philosophorum, a. MCCCCII rector totius academiae electus est. Magis etiam, quam munus scholarum habendarum in universitate indoli moribusque Hussi munus evangelii praedicandi in capella bethlehemitica, quod ei anno MCCCCII delatum est, respondit. Haec enim capella fundata est, ut in lingua vulgari verbum Dei sincere praedicaretur²⁾. Hussus hoc munere optime functus est et orationibus suis scripturam sacram simpliciter et ad populi captum accommodate interpretatus est. Constantia et calor fidei, amor Dei, qui in tota ejus vivendi et concionandi ratione cernebatur, sedatum animumque erigens dicendi genus multis saluti fuit³⁾. Imprimis superstitionem et vitia abrogare studuit⁴⁾. Pia regina Sophia Hussum sibi sacerdotem elegit, rex Bohemiae Wenzeslaus et magna pars optimatum bohemicorum ei favit. Archiepiscopi quoque pragensis benevolentiam sibi reconciliavit; Zbynek enim vir fuit rerum militarium quidem peritissimus, rudis vero in theologia; attamen, quum moribus incorruptus esset, a statu ecclesiae emendando haud abhorruit, quatenus id pro hierarchiae natura fieri potuit⁵⁾. Hussus vero, quo accuratius statum ecclesiae cognovit, eo magis in eam sententiam deductus est, majorem partem culpae sacerdotibus tribuendam esse. Neque dubitavit, quae cogitabat, coram synodo clericorum sine metu enarrare et eos ad vitam apostolicam imitandam adhortari, approbante archiepiscopo. Controversia de Wiclefi scriptis, quae anno MCCCCIII publice exorta est, effecit, ut partes magis inter se distinguerentur et separarentur. Damnatio XLV articulorum e scriptis Wiclefi depromptorum⁶⁾, effecta per tria suffragia, quae Germanis fuerunt, summam Bohemorum indignationem movit⁷⁾. Inprimis Hussus hoc decretum aegre tulit; plurimi enim Wiclefum aestimavit,

1) Anno MCCCXCIX primum de nonnullis Wiclefi sententiis publice disputavit. (Pal. 191 s.)

2) Helfert 269 seqq.

3) Pal. 214 seqq. 206.

4) Miracula illis temporibus saepe evenisse dicebantur, nec sine fraude doloque sacerdotum. Sic miracula per sanguinem perfecta in vico „Wilfaack“ credulum populum saepe in eum locum trahebant; quam in superstitionem vehementer Hussus invectus est. (cf. Pal. 216 f. Neander 313 seqq. Op. I, 154.)

5) Pal. III, 215. 272. Neander 316 s.

6) Cum 24 illis articulis, quos anno MCCCCLXXXII synodus Londini damnaverat, Pragis 21 alii articuli conjuncti sunt.

7) Pal. 195 seqq. Helfert 64 seqq.

oujus quasi, praeceptoris, sententias maximam partem probavit, suo quidem arbitrio utens¹⁾, easque ad suum animum et studium accommodans. Utrum placitum illud universitatis ad Hussi doctrinam de transsubstantiatione aliquam vim habuerit, necne, non satis liquet²⁾. Quum synodus universitatis iudicium (a. MCCCCVI) ratum haberet, auctoritas Hussi severitatem archiepiscopi in Wiclefitas lenivit³⁾; Zbyneci vero benevolentia in apertam inimicitiam vertit, postquam rex Bohemiae se obedientia circa doctrinam ecclesiae⁴⁾ et non obedientem Gregorio XII, a concilio pisano restitutionem dignitatis imperatoriae impetraturum esse, speravit. Zbynek enim, magna pars cleri, nationes Germanorum regis voluntati obsequi noluerunt, Hussus vero cum natione bohémica se ad parendum promptos ostenderunt. Rex Wenzeslaus his rebus motus est, ut tria suffragia Germanis adimeret, Bohemis traderet; Germani vero, jure jurando obstricti, universitatem pragensem reliquerunt a. MCCCCIX⁵⁾. Quod factum Hussi omniumque, qui amore patriae flagrabant, animos summo gaudio implevit⁶⁾. Victoria vires eorum confirmavit, Hussus anno MCCCCX iterum in rectoris universitatis honorem invectus⁷⁾ est; orationes ejus, quibus vitia sacerdotum coram populo vituperare non dubitavit, in dies plures homines ad majorem pietatem a legibus ecclesiasticis implendis, ad studium scripturae sacrae ab inutilibus scholasticorum quaestionibus avocarunt. Attamen ipsi Bohemi, victoria de Germanis reportata varias in partes distracti sunt; multi ad hierarchicam partem, quae tum omnes vires collegit, se contulerunt⁸⁾ praecipue factis et verbis Hussi offensi. Quod enim Hussus egit ad societatem ecclesiasticam vera pietate et religione imbuendam magis magisque ab usu et natura ecclesiae romanae abhorruit, quamquam magis ad agendum intentus, quae voluit, nondum ad artem et modum disciplinae revocaverat. Sicut ecclesia romana semper ea, quae sibi contraria essent, acerrime et quasi appetitu naturali vidit et oppugnavit; ita Husso archiepiscopus,

1) „Quidquid veritatis dixit Wiclefus recipio, non quia est veritas Wiclefi, sed quia veritas est Christi“ (Studien und Krit. 1837 p. 139) „Spero quod Wiclefus est in regno coelorum“. (ibid. pag. 129.)

2) Pal. 197 s. Neander VI, 328.

3) Pal. 213 s.

4) Propterea nationem bohemicam, ut suspicio haeresis a Bohemia tolleretur, XLV articulos Wiclefi damnare, voluit; quod satis ambigue fecit. (Pal. 222.)

5) Pal. 228 seqq.

6) Pal. III, 234.

7) Pal. 238.

8) Sic plures doctores theologiae Joh. Eliae; Andr. a Broda. (Pal. 230.)

deinde ipse Alexander V papa interdixit, ne in capella, quae Bethlehem vocabatur, amplius panem vitae hominibus daret. Scripta Wiclefi comburantur¹⁾ (medio anno MCCCCX). Hussus facta dictaque Christi pluris aestimans, quam hominum jussa²⁾ a praedicando non destitit, et propterea excommunicatus est. Appellatio ejus a papa male informato ad melius informandum³⁾, populi derisio et indignatio, preces reginae et nobilium non effecerunt, ut injustum iudicium tolleretur. Cardinalis Otto de Colonna Hussum Romam vocavit, ut ibi se defenderet; Hussus non paruit et ob conscientiae iudicium et ob regis vetitum⁴⁾, sed humiliter excommunicationem toleravit, se a Deo favorem impetraturum esse, sperans⁵⁾. Quum Romae res in longius traheretur, rex Bohemiae eam ad vim deduxit. Omnes qui decreto excommunicationis obediunt, ipse archiepiscopus pragensis regis iram poenamque sibi conflant; medio demum anno MCCCCXI in gratiam redeunt, Zbynek paullo post moritur, Hussi excommunicatio abrogatur⁶⁾. Quae dum aguntur, Hussus in munere suo administrando perrexit, societati ecclesasticae, cui praeerat, avaritiam, simoniam, abusum indulgentiarum, res adversas, quas ipse passus erat, proponit, ut ea de omnibus rebus iudicaret neve in vitia aut errores invitus traheretur. Ejus agendi ratio speciem quidem repugnantiae habuit⁷⁾; negavit enim, se ab ecclesiae catholica se separare velle; atamen jussis propositorum ecclesiasticorum manifesto non obedit. Id vero animi re vera magni et amore in Deum hominesque pleni fuit. Permultis rebus perversis, quae ecclesiae romanae summo dedecori erant, gravi sibi illata injuria Hussus non commotus est, ut vera Christi membra in ea esse negaret. Cum omnibus autem Christianis se arctissime junctum esse scivit; quocirca non caecum quendam et justo vehementiorem contra externa ecclesiae instituta impetum fecit. Verum magis magisque cognovit, latissime vitia clericorum patere.

Decretum papae Johannis XXIII (anno MCCCCXII in Bohemia editum), quod omnibus peccatorum omnium remissionem promisit, qui

1) Quid Hussus de perversa ratione librorum haereticorum comburendorum cogitaverit, satis intelligitur e multis locis scriptorum ejus. (cf. Op. I 89 sqq. 102 sqq. 106. 6.)

2) Op. I, 236 a.

3) Op. I, 89 seqq.

4) Rex Wenzeslaus acres literas ad pontificem misit, praeter alia haec dicens: „Non congruit regno nostro virum in praedicatione tam utilem in inimicorum discrimen exponere et totam multitudinem populi conturbare“. (Pal. 258.)

Op. I, 244 s. Nowotny II, 71.

5) Op. I, 243. b.

6) Pal. 270.

7) Pal. III, 254.

papam bellantem contra Ladislaum regem neapolitanum, stipendiis faciendis vel pecunia solvenda adjuverent¹⁾, Hussi animum vehementer offendit, in sacris orationibus et publicis disputationibus, permotus „Dei honore, profectu ecclesiae, conscientia propria“ hoc decretum Christi religioni quam maxime contrarium esse demonstrat²⁾; nemini, inquit, potestas peccatorum³⁾ remittendorum, nec clericis gladius saecularis datus est. Hieronymus vero splendida, qua praeditus erat, eloquentia populum eo deduxit, ut decreta papalia irrideret et combureret⁴⁾. Hussus a talibus factis, quae modum excedere videbantur, abhorruit. Attamen quum plures doctores theologiae ad Hussi inimicos deficerent et rex papae bullam ratam haberet, tres asseclae Hussi mortem subierunt et ipse a papa damnatus est⁵⁾. Rege suadente, ne Pragis seditio exoriretur, mense Decembri a. MCCCCXII se in arcem „Kozi“ contulit, postquam ad Christum, unicum caput ecclesiae, appellavit⁶⁾. Synodus convocata de pace restituenda et de suspicione haeresis a Bohemia⁷⁾ repellenda (initio anni MCCCCXIII) nihil effecit⁸⁾. Paulo post rex plures doctores theologiae (Stanislaum et Petrum de Znaim, Palec et Eliam) proscripsit, ut utraque pars Pragis ducibus privata esset⁹⁾. Hussus orationibus coram populo habitis frequenti, scriptis contra adversariorum crimina¹⁰⁾, literis ad societatem pragensem missis, ea quae susceperat, persecutus est.

Causa Hussi tanti fuit momenti, ut, quum concilium constantiense convocatum esset, Sigismundus imperator inprimis eum invitaret, fidem publicam se ei daturum et omnia facturum esse, ut causa ejus ad finem laudabilem duceretur, promittens¹¹⁾. Hussus, testimoniis rectae fidei communitus, iter Constantiam ingressus est, stipatus a Johanne et Hen-

1) Op. I, 171 s.

2) Op. I, 173 seqq.

3) Op. I, 176.

4) Pal. III, 276 seqq. Neander 377 s.

5) Op. I, 246 a. Pal. p. 279 ss.

6) Op. I, 236.

7) Maximo enim assensu Hussi doctrina non solum in Bohemia et Moravia, sed etiam in Hungaria et Polonia, floruit (Pal. III. 285. 304.) Unde suspicio haeresis exorta est, quae Bohemorum animos valde offendebat.

8) Pal. 291, seqq.

9) Pal. 294 seqq.

10) Hoc tempore scripsit tractatum de ecclesia, contra Petrum et Stanislaum, de simonia etc. Literae ejus plenae sunt pietatis summiq. amoris in amicos et apostolicam quandam speciem habent. (cf. Neander VI, 409 seqq.)

11) Pal. III, 1. 306 ss.

rico de Chlum et Wenzeslao de Duba. Per Germaniam proficiscens ubique eum gaudio et observantia exceptus est¹⁾. Desiderium enim majus reformationis ecclesiae, quam odium Slavorum animos Germanorum tenuit. Paulo ante initium synodi Constantiam venit. Viri summi, insignes potestate et doctrina, libertate et pietate ad ecclesiam unendam et reformandam in capite et membris Constantiam convenerant. Duo viri, quorum fama omnes terras implebat, Johannes XXIII, papa sordidissimus, et Hussus judicio concilii se subjecerunt, ille, delictorum suorum conscius, omnia metuit; hic optima quaeque a pietate concilii speravit. Judicium concilii de his viris maximum momentum ad totam ejus agendi rationem habere debuit. Optimi viri in reliquis rebus animi libertatem servarunt; in rebus autem fidei catholicae nemini parcere potuerunt. Neque vero defuerunt viles homines, Bohemi, qui Hussu summo opere perniciem molirentur. Quorum studio evenit, ut Hussus, mense novembri nondum elapso, in carcerem conjiceretur, nulla publica interrogatione aut judicio interposito, neque ulla ratione habita datae publicae fidei. Sigismundus, imperator, vix subtilitate sophistica ethicae catholicae et juris ecclesiastici commotus est, ut datam fidem falleret nec ira flagrans concilium relinqueret. Nec preces nobilis Johannis de Chlum et optimatum Bohemicorum et Moraviensium²⁾ nec fuga papae Husso, in gravem morbum implicito, libertatem attulerunt, sed carceris tantum mutationem³⁾. Res adversae eum non impediverunt, quominus Bohemorum animos egregiis literis confirmaret et consolaretur. Rogatus, quid de communione sub utraque specie cogitaret, se eam probare dixit; et quum a concilio damnata esset, Bohemos adhortari incepit, ut omnes ea uterentur⁴⁾. Plures viri electi sunt, qui investigarent, utrum Hussi scripta haeresim continerent necne. (Non. Jun. MCCCCXV). Quum in publicam interrogationem coram concilio vocatus esset, (id quod ipse semper vehementissime cupierat⁵⁾, adversarii vero ejus impedire studuerant) tanta concilii fuit turba et clamor, ut nihil recte atque ordine agi posset⁶⁾. Uno die intermisso, altera fuit interrogatio, praesente impera-

1) „Nultum adhuc sensi inimicum; non est inimicitia major contra me, quam a regnicolis Bohemiae“. (Op. I. 58. ep. 3.)

2) cf. Helfert 297 seqq.

3) Pal. 341 seqq.

4) cf. Op. I, 72, ep. 47; 64, ep. 19; 72. ep. 48; 63, ep. 16; 60, ep. 9;

5) Op. I, 60 ep. 35; Pal. 312 f.

6) „Omnes contra eum vociferabantur“, ita ut ipse diceret in concilio: „Equidem credidi majorem honestatem, bonitatem et disciplinam esse hoc in concilio atque est“. (Pal. III, 348.)

tore Sigismundo; de ratione, quae inter Wiclefum et Hussum intercederet, actum est. Hussus quum frustra postulasset, ut doceretur et refutaretur e scriptura sacra, denique appellavit ad Christum. Quem quum „solum dominum, advocatum et procuratorem suum“ nominaret, patres sanctissimi eum irriserunt. Postero die de ipsius scriptis quaesitum est, Gersone, Petro de Alliaco, aliis contra eum disputantibus¹⁾. Semper summa cum alacritate et constantia, ea quae vera esse cognoverat, professus est. Neque auctoritas concilii generalis, aut preces iudicum, aut lacrymae amicorum et inimicorum, aut metus imminentis mortis eum commoverunt, ut „recederet a veritate, perjurium faceret, proximos scandalizaret“²⁾. Denique a. d. Non. Jul. anni MCCCCXV insignibus sacerdotalibus privatus, constanti animo, hymnum canens in honorem Dei, mortem obiit³⁾.

Jam vero mores hujus eximii viri consideremus. Wiclefus ea fuit indole, ut magis aliorum observantiam, quam amorem, magis discipulos, quam amicos sibi conciliaret. Progressus internae vitae, incrementum pietatis tantum e factis et e doctrina ejus intelligi potest. Contra id fuit proprium Hussi, ut intimus ejus animus amicorum oculis apertus et manifestus esset. Summa vitae ejus fuit religio, amore et fide Christum, solum dominum amplexus; patientia et spe instructus vel acerbissima passus est. Acriter pugnando contra „mundum, carnem, Diabolum“, se ipsum superare et magnos errores, qui ea aetate omnibus fere hominibus communes erant, corrigere et Antichristi dissimulatam malitiam detegere didicit. Pugna in falsos dominos non e superbia, sed ex humilitate profecta erat⁴⁾. Neque enim superbi hominis est, res adversas habere pro merita poena⁵⁾; culpam et peccata innumerabilia confiteri⁶⁾, Deo gratias agere ob mortem in aliud tempus dilatam ad poenitentiam melius agendam⁷⁾. Solo domino Christo, ut firmo fundamento, Hussus nititur; in Christo se ipsum invenit; quocirca Christi auxilio in omnibus rebus adversis et tentationibus confisus, Deum sibi, Constantiae omni modo vexato, semper gaudium et auxilium auxisse fatetur⁸⁾. Amore Dei motus vitam honestissimam egit et, si veritas et officium agebatur,

1) Neander 462 seqq.

2) Op. I, 70 ep. 39.

3) cf. Aeneas Sylvius, hist. Bohem. apud Wessenberg II, 175.

4) contra Helfert. 196 s. 202.

5) Op. I, 70 ep. 37.

6) Op. I, 57 ep. I.

7) Op. I, 62. ep. 14.

8) Op. I, 59.

humilis et modestus vir summam audaciam et animi constantiam in agendo ostendit. Quod a natura homini insitum est, ut aliorum quaerat societatem, id praecipue in eos valet, qui se ipsos quasi habeant et possideant. Sic Husso quoque amor hominum summum officium, gaudium, solamen fuit. Quam vero quaesivit hominum societatem, quum fide et amore Dei niteretur, contigit ei, ut magnum numerum amicorum Deo et sibi conciliaret. Amicis se totum dedit, nec quicquam iis incognitum esse voluit, qui se, ut patrem et praeceptorem, amarent. Mutuus Hussi et amicorum amor praecipue quidem in adhortatione et deprecatione aliisque rebus ad salutem animi pertinentibus versabatur, attamen ne a minimis quidem rebus provida cura Hussi aliena erat. Hujusmodi cum amicis consuetudo multum Husso suavitatis et salutis attulit. Metus, ne ecclesiae sibi traditae offensioni esset, eum confirmavit in veritate fortiter confitenda et adversus omnes defendenda. Persuasus, se verum tueri, sententias suas in quam plurimos diffudit, id in itinere per Germaniam, id Constantiae fuit¹⁾. Quamobrem multi eum de magna ambitione et nimio placendi studio accusaverunt, et ipse se in hoc vitium saepe incidisse confitetur²⁾. Attamen hujus vitii ipsa confessio et conscientiae, qua vexabatur, sollicitudo, contrarium demonstrare videntur³⁾. Ubi fidem suam profitebatur, audacia et constantia fuit, quam vix in humili et miti hujus viri animo expectaveris; neque umquam pericula et difficultates respiciebat, si veritas agebatur. Singulas sententias acriter defendit, quia quaecumque dixit et egit, ex intimo animo ejus profecta erant. Pro quoque homine, qui veritatem tuetur, vitam suam profundere⁴⁾ suamque doctrinam morte sancire, paratus est. Quae quidem agendi ratio eum suspectum reddidit de morte et gloria martyris vehementer appetita⁵⁾. Quod tamen certis argumentis probari non potest. Mirari enim non possumus, quod Husso in mentem venerit, se doctrinae suae causa morte affectum iri; nam crudelitas matris ecclesiae in promptu erat, ut alii magis, quam ipse, de salute ejus timerent⁶⁾. Accedit, ut

1) „Ego praedico publice, etiam volo, ut audiant quicumque voluerint“. (Op. I, 58. ep. 3.)

2) „Pulchris et superfluis vestibus nimis usus sum, seductus consuetudine malorum hominum et a plausu, in quibus sum contra Deum, superbiae spiritu vulneratus“. (Op. I, 57. ep. 1.)

3) cf. Op. I, 64. ep. 20.

4) Neander IV, 381.

5) Helfert 197 s.

6) Op. I, 69. ep. 34.

animus ejus ad divinationem et vaticinationem aptus fuerit¹⁾, ut pro ingenii indole se a pueris praecipue ad mortem Christi martyrumque vitam considerandam converterit. Porro a vita inutiliter profundenda alienus²⁾ et humanae infirmitatis semper memor apostolorum exemplum animo volvit³⁾.

Sicut in Wiclefo, ita in Husso amor Dei et patriae se mutuo confirmabant. Ille vero magis res publicas, hic ipsum populum spectabat. Nationis slavicae, inprimis bohemicae, amore insignis jura ejus defendit⁴⁾ et ingenium ejus proprium fovit. Omnium ordinum salutem curavit⁵⁾, omnem discordiam tollere et unire homines secundum legem Christi studuit⁶⁾. Quaecumque vero in patriae salutem effecit, ad pietatem vitaeque sinceritatem augendam, ut ad extremum finem, pertinuerunt⁷⁾. Ad disciplinam scholasticam quoque operam convertit; attamen plus in iis, quae ad biblia et vulgarem sensum spectabant praestitit. Tanta subtilitate ingenii, quanta Wiclefus excelluit, praeditus non fuit. Praeterea a more scholastico animus ejus magis abhorruit, quò quasi lingua peregrina utitur. Multorum patrum et doctorum ecclesiasticorum scripta et sententias laudat, praecipue vero Augustinum et Wiclefum sequitur. Pro tota ejus indole Husso opera non in rebus theologicis et dogmaticis collocata erat, sicut Wiclefi; quocirca dogmati ecclesiae fidelior, quam ille, exstitit. Quod igitur Husso his in rebus proprium est, ad sententias ejus perspicuas reddendas plurimum valet. —

Ac primum quidem, ad canonica scripta veteris et novi testamenti, censet, de Christi vita et doctrina narrare divinitus tradita, veritatem igitur continere⁸⁾. Deus enim mentiri non potest et Christus est verus

1) cf. Op. I, 69. ep. 33 et 34.

2) Now. II, 73. Op. I, 244 s.

3) Op. I, 67. ep. 29.

4) Veteribus nec non nostris temporibus Husso adversarii dixerunt, amorem ejus patriae in odium Germanorum vertisse, ut hoc modo Germanorum odium in eum concitarent. Neque vero negandum est eum Pragis optimum jus Bohemiae defendisse; Germanos autem non ab eo expulsos, sed jure jurando obstrictos Pragas reliquisse. (Stud. und Kritik. 1837. p. 130 s. 135.) „Plus diligo bonum Theutonicum, quam malum Boemum, etiam si sit frater meus germaus“. (ibid. p. 146.)

5) Helfert p. 300. ep. 3.

6) Op. I, 63. ep. 18.

7) Op. I, 231 b.

8) Propterea haereticum eum esse censet, qui verbo, scripto vel opere scripturae contrarius est. „Tria ad haeresim concurrunt, scilicet error in intellecta, falsitas scripturae sacrae contraria, et pertinacia in affectu“. (Op. I, 105. a.)

Deus¹⁾. Hussus paratus est, pro lege Christi miseram suam vitam profundere²⁾. Christus, optimus animae humanae medicus, pro summo amore in homines et sapientia sua ecclesiae in bibliis legem sufficientem³⁾ dedit, cujus summa est amor Christi. Ad scripturam sacram nihil addere, nihil ab ea subtrahere licet. Omnes leges in ea continentur explicitae vel implicitae. Neque vero Hussus sibi semper constat in describenda ratione, quae inter veritates legesque posterius inventas et scripturam sacram intercedat; modo loquitur non secus ac si verbum Dei perfectissimum codicem legum habeat, modo idque, ni fallor, maximam partem evangelicae doctrinae auctoritatem tuetur. In hoc sicut in aliis locis pietas et religio ejus nondum certam doctrinae formam induerat⁴⁾. Scripturam sacram interpretandam esse censet „ad intellectum, ad quem benedicta trinitas praecipit scripturam credi⁵⁾“; sanctorum quoque interpretationem plurimi aestimat, eamque saepe sequitur⁶⁾; confitetur enim, se nondum omnia dicta scripturae intelligere, et sperat, se post mortem ea melius intellecturum esse⁷⁾. Ab interpretatione allegorica non prorsus abhorret⁸⁾. Populo jus bibliorum legendorum vindicat⁹⁾ et postulat, ut, quidquid populum doceant, ad scripturam velut „rationem infallibilem“ revocent¹⁰⁾. Auctoritatem bibliorum ab auctoritate Christi deducit; ad Christum, ut ad caput, omnia refert, quia verus homo et verus Deus sit¹¹⁾. Praecipue ad negotium et mortem Christi, summi sacerdotis, spectat¹²⁾. Peccato enim, quod consistit in inimicitia et discordia cum Deo, in caecitatem et infirmitatem incidimus¹³⁾; propterea non ex operibus justitiae, quae facimus, salvi fieri possumus¹⁴⁾, sed Christus solus, mediator nostrae salutis, nobis datus a Deo ad redemptionem. Unde

1) Op. I, 47, 209; 49, 221.

2) Op. I, 45.

3) Op. I, 46 seqq.

4) Op. I, 221, 47, 344, 49. — Schwabe 1851 Nro. 23.

5) Op. I, 45.

6) Op. I, 66. ep. 28.

7) Nowotny II, 11 s.

8) Now. III, 5, 21 seqq.

9) Now. I, 45.

10) Op. I, 297.

11) Divinae et humanae naturae Christi saepe quidem Hussus mentionem facit, naturae vero humanae, sicut scholastici theologi solent, parum tribuit. (Op. I, 206. Non I, 5, 261; 30 s. III, 2.)

12) Op. I, 52, 119. Now. III, 47.

13) Now. I, 80.

14) Op. II, 282.

hominis omne meritum inane est; per legem nemo justus factus est, sed per fidem Christi¹⁾. Fides Christi, omnis fons virtutis²⁾, ubi desideratur, omnia peccata aditum apertum habent³⁾. Praeter hujusmodi dicta, quae veritatem evangelicam continent, haud raro alia in scriptis Hussi inveniuntur, quae doctrinam romanam attingunt⁴⁾. Redemptio enim ex ejus sententia praecipue a Dei potestate proficiscitur, cum qua misericordia Dei externa quadam ratione conjuncta est, ita ut incarnatio Christi non accurate intelligatur⁵⁾. Justificationem et vitae emendationem nondum accurate separat. Quamquam ad pauperem vitam Christi imitandam magnopere adhortatur, tamen et rebus externis sequendis meritum quoddam tribuit. Quocirca consilia evangelica, quae ad coelibatum, paupertatem, obedientiam, jejunium cett. pertinent, praecipue clericis praecipit. Attamen haec non eodem modo, quo multi in ecclesia romana, intelligit; neque enim absolutum meritum hominis esse dicit, sed tantum relativum, quod Christi gratia nitatur⁶⁾. A pelagiana doctrina alienus est; Augustini et Wiclefi sectator absolutum duplex praedestinationis decretum statuit. Optimus quisque, inquit, Deo maximam gratiam agere debet⁷⁾.

Plurimum Hussus pro tota ejus natura atque indole ad notionem ecclesiae describendam valet. Ecclesia est universitas omnium (praetiritorum, praesentium, futurorum) praedestinationum. Tres in partes dividitur, primum in ecclesiam militantem, quae continet „viantes ad patriam“ et pugnantes contra mundum, carnem, diabolium; deinde in dormientem, cujus membra patiuntur in purgatorio; denique in triumphantem, quae beatos in patria quiescentes complectitur⁸⁾. Hae tres partes unam ecclesiam efficiunt, cujus unitas in Dei aeterno decreto praedestinationis consistit; neque ullo modo dividi potest, quae est sponsa Christi, corpus ejus mysticum, mater omnium fidelium⁹⁾. Ecclesia est sancta neque errat et, quia apostoli eam plantaverunt et firmaverunt, apostolica nominatur. Christus totius ecclesiae caput est, nec quisquam praeter illum¹⁰⁾.

1) Op. II, 286, Now. II, 12. cf. Op. II, 86.

2) Op. I, 208.

3) Now. II, 35 s., Op. I, 30.

4) Schwabe (1851) p. 187 sqq.

5) Op. II, 155.

6) „Christus dominus est basis totius meriti membrorum ecclesiae“. (Op. II, 50.)

7) Now. II, 12.

8) Op. I, 198.

9) Op. I, 51. 197. b.

10) Op. I, 201.

„Christus est caput externum secundum divinitatem, post incarnationem quoque caput internum secundum humanitatem ejus“.

Quoniam vero particulares quoque ecclesiae exstant, quae non omnes complectuntur praedestinos¹⁾, harum capita secundaria, ordinata ad ecclesiae regimen, existere possunt²⁾. Christus autem „verus pontifex“ ecclesiam amare, ut se ipsum, non desinit, „fundamentum, a quo et in quo primo fundatur ecclesia“; Christus eam suo verbo et sacramentis confirmat³⁾; tandem ad victoriam ducet. Quod vero ad hominem fides, quae per dilectionem operatur, fundamentum est, quo fundatur ecclesia⁴⁾. Amore tres partes ecclesiae conjunctae sunt, et se invicem juvant⁵⁾. Quum vero homines non accurate, ne e justitia praesenti quidem cognoscant, qui praedestinati, qui praesciti sint⁶⁾ — id quod exemplo Judae et Pauli demonstrat — et propterea „non locus dignitatis, non electio humana vel aliquod sensibile signum⁷⁾“ demonstrat, quis re vera membrum ecclesiae sit, alios de ecclesia, alios in ecclesia esse dicit: „Sicut enim est aliquid in corpore humano, quod non est pars ipsius corporis (ut sputum, stercus etc.) et non est de corpore, sic est aliquid in Christi corpore mystico, quod est in ecclesia, et tamen non de ecclesia, cum non sit pars ejus, qualis est omnis Christianus praescitus“. Quocirca duplex est vis vocabuli „ecclesia“; tum enim verum corpus mysticum, quod solos praedestinos continet, tum corpus permixtum, in quo et praesciti sunt, significat⁸⁾. — Secundum eam rationem, quae inter ecclesiam veram, invisibilem et permixtam, visibilem intercedit, homines quadruplici modo ad ecclesiam pertinere possunt; alii enim sunt in ecclesia nomine et re, alii nec nomine nec re, ut praesciti pagani, alii nomine tantum, ut praesciti hypocritae, alii re, licet nomine foris esse videantur, ut praedestinati Christiani, quos „Antichristi Satrapae in facie ecclesiae condemnare videntur“⁹⁾. Quam si doctrinam Hussi de natura ecclesiae cum Wiclefi comparamus, id quidem in promptu est, utrumque ab eadem definitione profectum esse. Wiclefus vero ad eam imprimis constantia cogitandi, Hussus usu et experientia vitae pervenit; propterea Wiclefi doctrina in absoluta Dei praedestinatione quasi quiescens, ecclesiam visibilem parum respicit, Hussus vero non solum absoluti Dei decreti, sed etiam libertatis

1) Op. I, 197. cf Matth. 18.

2) Op. I, 201. 219 seqq.

3) Now. II, 19 seqq. 65.

4) Op. I, 210.

5) Op. I, 51; Now. I, 43.

6) Op. I, 205.

7) Op. I, 204.

8) Op. I, 202, 205, 207.

9) Op. I, 206.

humanae rationem habendo¹⁾, accuratius usum intelligit, qui inter ecclesiam visibilem et invisibilem intercedit²⁾. In Wiclefi igitur doctrina non vis societatis ecclesiasticae condendae et formandae inest, qua Hussi excellit. Sub subtilitate et constantia, quam Wiclefi sententia habere videtur, in doctrinae ecclesiae romanae repugnando, magnus error latet. Hussus non tam aperte et manifesto vinculum, quod eum cum ecclesia romana conjunxerat, dirupit. Quo melius veram naturam ecclesiae cognovit, eo magis abhorruit a relinquenda magna illa societate ecclesiastica, quamdiu aditum ad salutem nondum prorsus praeclusisset.

Hussi proprium meritum etiam in doctrina ejus de sacramentis cernitur. Quod ad coenam sacram, se umquam transsubstantiationem rejicisse negat. Multi quidem ex ejus accusatoribus Constantiae contrarium ab eo doctum esse, dixerunt, nescio an nimis ambigua Hussi dicendi ratione decepti³⁾. Accedit, ut „sacramentum non in merito consecrantis, sed in verbo creatoris et virtute spiritus sancti perfici“ diceret⁴⁾. Sicut Wiclefus de refutanda transsubstantiatione, sic Hussus de communione sub utraque (sc. specie) laicis vindicanda optime meritus est. Ille arrogantiam sacerdotum oppugnavit, hic jus societatis ecclesiasticae defendit, laicum et sacerdotem coram Deo pari jure esse, affirmans. Hussus non subtilitate ad calicem laicis vindicandum, sed desiderio societatis ecclesiasticae commotus est; ejus vero auctoritate accidit, ut omnes ejus sectatores calicem, quasi signum, prae se ferrent. De sacramento ordinis et ecclesiae et Wiclefi doctrinae contrariam sibi sententiam Hussus finxerat. Ordinationem magica ratione sacerdoti afferre characterem indelebilem et donum spiritus sancti negat⁵⁾. Vita, inquit, facit episcopum⁶⁾; quod dictum non sic intelligendum est, quasi sacramentum a malo sacerdote administratum virtute vacet. Sacerdos, qui in peccato mortali existit, digne quidem sacramenta administrat, sed ad sui ipsius damnum⁷⁾.

1) Now I, 25 s.

2) Non igitur mirandum est, Wiclefum de hac doctrina, quae ei res levior esse videbatur, ab ecclesia romana non accusatum esse (of. Gies. II, 3 p. 341 seqq. ann. 18.), Hussum vero imprimis propter articulos e tractatu ejus „de ecclesia“ sumptos a concilio constantiensi damnatum esse. Apud Hussum doctrina de ecclesia summa est omnium ejus sententiarum.

3) cf. Neander VI, 330 s. Pal. 197 s. Jäger 83 s. *Stud. und Krit.* (1837) p. 126 s. 133. 136.

4) Op. I, 134.

5) Op. I, 205; Now. III, 34 seqq. 47.

6) Op. I, 223 b.

7) „Dei potentia per indignum et imundum ministrum perficit valde dignum

Duplicem igitur sacerdotis missionem esse, unam visibilem et publicam; alteram, meliorem, privatam, invisibilem a Deo suppeditatam¹⁾; hanc autem in tota vivendi ratione cerni posse dicit²⁾. Singulos gradus hierarchiae non necessarios esse, nec fuisse in primitiva ecclesia³⁾, neque tamen per se saluti contrarios esse; si episcopi etc. secundum legem Christi vivant, pro veris successoribus Christi et apostolorum habendos esse⁴⁾.

Poenitentia et contritione, confessione, satisfactione et infinita Dei misericordia potentiaque perficitur⁵⁾. Soli deo „authentica“ potestas peccatorum remittendorum tribuenda est; Christo homini „subauthentica“; sacerdoti „ministerialis“⁶⁾. Confessio auris igitur non necessaria est; „sola cordis confessio veraciter poenitenti ad salutem animae sufficit“⁷⁾. Doctrinam igitur ecclesiae de indulgentiis et maxime modum, quo eae administrabantur, prorsus improbavit.

Sed haec hactenus. Ea, quae Hnssus de statu ecclesiastico attulit, a doctrina ejus de natura ecclesiae proficiscuntur, eademque mente imbuta sunt. Omnia membra ecclesiae in tres ordines dividuntur; in clericum, in potestatem saeculi seu homines saeculares, in vulgus subditum. Omnium ordinum est, dominum Christum sequi et Antichristum oppugnare; Sacerdotum vero, in prima acie pugnare⁸⁾. Sacerdotio gladius spiritualis, qui vocatur, datus est ad sacramenta administranda, laicorum salutem curandam et augendam; dominis laicis gladius „materialis“ datus est ad justitiam exercendam et ad hostium impetum depellendum. Laicorum subditorum denique est obedire ceteris ordinibus, quatenus jussa eorum ad legem Christi accommodata sunt. Omnes vero ordines, sicut unum

et mundum opus, ut puta baptismum“ etc. Op. I, 133. b. cf. 135. Stud. und Krit. (1837) p. 140 s.

1) Op. I, 113 seqq.

2) Op. I, 223, b.

3) Nixus dictis Pauli et Hieronymi dicit: „Tunc autem Christus non ordinaverat, nisi diaconos et presbyteros, tunc etiam idem presbyter et episcopus erat“ (Op. I, 226.)

4) „Si jam fidei, humilitatis, caritatis via incedit vocatus Petri vicarius, credimus quod est verus ejus vicarius et praecipuus pontifex ecclesiae, quam regit“ (Op. I, 113. cf. I, 220.)

5) Op. I, 215. Now. II, 62 s.

6) Op. I, 300 s. Now. 39. 40. 52. 102.

„Sacerdos non habet potestatem dimissionis culpae et poenae aeternae, sed ministerium denunciationis“ (Op. I, 192.)

7) Op. I, 215.

8) „Sacerdotium est perfectissimus gradus et supremus in ecclesia militante“ (Op. I, 192. cf. Op. II 32 b.)

dominum habent, ita amore mutuo, qui potestate spirituali omnibus communi nititur, conjuncti sunt. Quam potestatem spiritualem „habet quilibet plebanus in exercendo opera spiritualia in se et in aliis. Nam quotquot Christum receperunt fide, iis dedit potestatem filios Dei fieri, ut liceat iis dirigere se et fratres suos in via patris sui Christi et caritative corripiendo“¹⁾. Neque vero ordines ecclesiae Christi munere proprio semper bene functi sunt in pugna contra diaboli et Antichristi regnum²⁾. Summa vi, fraude, dolo, falsis miraculis, fallaci sapientia multorum, praecipue sacerdotum, animos Antichristus decepit. In blasphemia vero in Deum munus periculosissimum Antichristi consistit; et in eam ecclesia romana penitus incidit, verbis et factis Deo virtutem et potestatem derogans, gloriam ejus minuens³⁾, aeternum ejus decretum externis signis, ab hominum mente inventis, obstrictum esse, putans. Blasphemia in eo cernitur, ut legibus, decretis, placitis romani pontificis par vel potius major auctoritas, quam scripturae sacrae tribuatur, quum papa et concilia errori obnoxia sint⁴⁾. Erranti et fallenti papae non obedire, est Christo obedire⁵⁾. Exempli gratia, nemini licet, ob papae vel concilii vetitum, ab evangelio vel praedicando vel audiendo desistere⁶⁾. Porro blasphemia cleri est, ut sibi jus arroget suo arbitrio peccata solvendi et ligandi; hoc enim jure concesso, papa Deus esset. Claves a Christo Petro et in eo toti ecclesiae traditae sunt⁷⁾. Potestas clavium pertinet ad discernendi scientiam et potentiam judicandi, qua judex ecclesiasticus dignos recipere, indignos a regno excludere debet⁸⁾. Pernicies, quae e levi et injusto usu excommunicationis, interdicti, venditionis indulgentiarum, cett. fluxit, pium et severum Hussi animum vehementissime offendit. Vidit enim his rebus conscientias turbari; malos in vitiis confirmari, ut Antichristi vis in dies cresceret⁹⁾. Neque minus

1) Op. I, 213.

2) Hussus de Antichristo magis Matthiae de Janow, quam Wiclefi opiniones attingit, imprimis enim regni Antichristi rationem ducit. „Regnum malorum, Dei aeterna praescientia et finali inobedientia conjunctum“. (Op. I, 206.)

3) Op. I, 345.

4) Op. I, 207. 236. 345. 364. 228. Helfert p. 298, Now. III, 93.

5) Op. I, 237. 240.

6) Now. II, 32.

7) „Non quod quaelibet persona illius ecclesiae indifferenter habeat illas claves, sed quod tota illa ecclesia secundum singulas ejus partes ad hoc habiles, habeat illas claves“. (Op. I, 214.)

8) Op. I, 214 cf. Now. 57 s.

9) „Excommunicatione, suspensione, interdicto clerus viam Antichristo praeparat“. (Op. I, 252 cf. 293, 249 Now. III, 56 s.)

Hussus cleri dominandi cupiditatem aegre tulit; magnae divitiae, vastaeque terrae, inquit, quas hierarchia sibi paullatim acquisivit, in ejus perniciem verterunt. Omnis potestas, possessio, jurisdictio, omne munus non bene nec digne administratur, nisi secundum Christi voluntatem. Hussus multa hac de re scripsit et disputavit, principes et populum ad statum ecclesiae reformandum adhortans; sed haec, quum a Wiclefi doctrina hac in re non fere dissensus videatur, praetermittamus. In monachos mendicantes minus acerbè invehitur, quam Wiclefus; nam ei minus periculosi esse videntur. Majorem vero, quam Wiclefus operam contulit ad ecclesiasticam disciplinam emendandam, ut et sacerdotum et laicorum vitia abrogaret.

Maxime diversitas Hussi et Wiclefi in ratione, qua cultum Dei instituendum esse putaverunt, cerni potest. Hussus, praecipue vitam societatis ecclesiasticae respiciens, sanctitatem temporum et locorum, quae ad Deum colendum pertinent, servare et augere studet. In orationibus sacris id spectat, ut eas ad vim et sensum festorum ecclesiasticorum accomodet. Capellam, in qua toties verbum Dei praedicaverat, sanctam habet et valde diligit¹⁾; neque artes a templis alienas esse putat; pulchrae imagines Christi animum ejus ad res coelestes tollunt²⁾. Ipse instituit, ut decem praecepta aliaeque res, quas semper ante oculos et ante animum discipulorum versari vellet, in parietibus capellae inscriberentur. Eandem vim, quam Wiclefus, Hussus praedicationi tribuit; ab ea sola novam vitam fluere posse, eam totius cultus divini summam esse censet. In evangelio praedicando sacerdotum, in audiendo laicorum summum officium et laudem consistere. Verbum Dei societatem ecclesiasticam iterum expergefaceret et vi vitali imbuere debere. Neque vero a laicis alienum putat, honorem et laudem Dei efferre. Quum intellexisset, fieri non posse, quin societas ecclesiastica, amore Dei et hominum instructa, canticum ecclesiasticum in lingua vernacula desideraret, inprimis Hussi studio evenit, ut laici hoc jus postularent et acciperent. Etiam majorem famam Hussus eo assecutus est, quod laicis in sacramento altaris perfruendo communionem sub utraque specie concessit. In scriptis Hussi pro natura rei non multa inveniuntur, quae ad cultum Dei emendandum pertineant; attamen ex hac re propria indoles Hussi optime intelligi potest.

Jam vero, quae Hussus ad has sententias efficiendas pro animi indole et natura fecerit, breviter exponamus. Hussus apud academiam

1) Helfert 301.

2) cf. Op. I, 71. s.

pragensem, apud reginam multosque Bohemiae optimates magnam auctoritatem habuit; in capella vero Bethlehem maxima ei occasio virtutum ingenii et animi exercendarum fuit. In societate ecclesiastica, cui praeerat, maximum fructum assecutus est. Orationibus ad sensum linguamque vulgarem et ad praecepta bibliorum accommodatis omnium animos ad se non rapuit, sed aequabili et temperato dicendi genere et sententiarum crebritate insignis, hominibus persuasit, quod verum esse iudicavit. Totum se ad verba scripturae applicuit, sed magis singula, quam totum contextum spectavit. Verba ejus ex usu propriae vitae fluxerunt, quocirca fructus iis non defuit. Omnes res, quae ad eum et societatem ecclesiasticam pertinebant, in orationibus sacris tractavit¹⁾. Populi et principum, deinde etiam sacerdotum vitia singula perstrinxit; hoc vero fecit, ut populum a malis ad bonos sacerdotes, sacerdotes vero a vitiis ad virtutes avocaret. Hoc concionandi modo magnum cleri odium sibi conflavit, cujus auctoritas maximam partem stupiditate populi nitebatur²⁾. Quos non orationibus, eos scriptis et epistolis instruxit et conformavit. Inprimis bene meritus est de emendanda translatione bibliorum in linguam bohemicam, jam saeculo XIV perfecta.

Quae translatio ad linguam et recte scribendi rationem conformandam permultum valuit. Carmina ecclesiastica, quae Slavorum ingenio optime respondebant, ab initio aeseclae ejus summo amore amplectebantur. Extra ecclesiam, jam Husso vivo, in sacris rebus carmina populo usitata fuisse, constat³⁾. Quum vero ipse plura carmina bohemia composuerit, sicut et amici ejus, Hieronymus, alii⁴⁾, et saepe vetera carmina ecclesiastica laudaverit, eum in ipsa capella, ut carmina a populo canerentur, instituisse, verisimile est. Id certe in dubitationem vocari non potest, statim post mortem Hussi a multis ejus aeseclis carmina in ecclesia cantata esse; multis enim argumentis probatur⁵⁾. Semper attentos habuit animos ad populum et liberos bene erudiendos, inprimis ad pios sacerdotes educandos. Quod quum exemplo vitae suae et orationibus suis sequeretur, hunc ad finem, quaecumque in universitate egit, retulit. Studium bibliorum potissimum theologis commendavit; quae ipse docuit, maximam partem in scriptura sacra interpretanda versabantur; schola-

1) Haec de praedicando praecepta dedit: „Praedica assidue, breviter tamen et cum fructu, prudenter intelligendo sacras scripturas, incerta et dubia nunquam affirmando“. (Op. I. 60. ep. 9.)

2) cf. Op. I, 149 seqq. Neander VI, 339 s.

3) cf. Neander VI, 387.

4) Pal. III, 1. 300 cf. Op. I, 71 ep. 42; 78 ep. 50. Op. II, 328.

5) cf. Pal. III, 406; 397 s. ann. 499; 413, ann. 522.

sticam disciplinam haud multum sequebatur; scripta, quae ad artis formam ordinaverat, saepe ad verbum cum bohemicis congruunt. Quod sibi proposuerat, assecutus est. Permulti sacerdotes per totam Bohemiam et Moraviam renovatam biblicam doctrinam praedicaverunt, parati post mortem Hussi, quod hic inceperat, perficere. Gravissimum factum Hussi mors ejus est, quam, ut martyr, subiit. Per eam, quaecunque docuerat et egerat, confirmavit; per eam in numero maximorum protestantium, id est, testium veritatis, merito habitus, vim fidei probavit, quae omni mundi potestati et majestati amaram mortem Christi causa anteponeret. Rogus Hussi locus est, quo viae ecclesiae romanae et evangelicae in diversas partes discesserunt et discedunt. Sanguis magistri bohemicus adhuc angit conscientiam ecclesiae romanae, memoria boni martyris adhuc ecclesiae evangelicae carissima est. Quum Bohemi de morte amati praeceptoris certiores facti essent, omnes (paucis tantum exceptis) veritatem patriaeque honorem defendentes petiverunt a concilio constantiensi, ut rationem de viro injuste damnato redderet¹⁾. Neque fieri potuit, quin res ad agendum deduceretur; sacerdotibus Husso addictis plurima munera ecclesiastica deferebantur; doctrina ejus in dies auctoritate crevit; regina, universitas, optimates, populus ei adhaerebant, communio sub utraque specie signum Hussitarum fiebat²⁾. Neque concilii generalis severitas, quam in Hieronymum adhibuit³⁾, nec minae, quibus omnes Hussi sectatores sectabantur, quicquam aliud effecerunt, quam Bohemorum irae et studii incrementum⁴⁾. Hussitae vero jam tum in duas partes distracti; alii (inprimis Pragenses) societatem cum ecclesia romana non omnino negligere neque modum doctrinae Hussi excedere voluerunt, alii audacter, quod inceperant, perficiendum esse censuerunt⁵⁾. Tota rerum facies commutabatur, quum Wenzeslaus rex a fratre Sigismundo ad haereticos opprimendos incitatus esset (anno MCCCCXIX). Romani sacerdotes restituuntur in munera, Hussitarum instituta abro-

1) cf. Pal. III, 1, 374 seqq. Gieseler II, 4 p. 428.

2) Op. II, 364.

3) Hieronymus Pragensis, vir doctus et eques, insignis subtilitate et eloquentia, quae omnium animos ad se trahebat, Wiclefi et Hussi sententias acceperat. Quum vagus (Ulrico de Hutten non dissimilis) plurimas terras peragrasset, ubique admirationem et persecutionem sibi collegisset, in novis sententiis defendendis saepe modum excedens, denique Constantiam ductus et a concilio ad retractationem motus est. Iterum vero interrogatus, animo redintegrato sententias suas audacter defendit, alacriter sortem amici sui Hussi perpessus est (anno MCCCCXVI). (Gilpin. 237 seqq. Helfert 208 seqq. Op. II, 349 seqq. 368 seqq.)

4) Wessenberg II, 242 seqq.

5) Pal. III, 1. 396 seqq.

gantur, multi regem relinquunt, ut populo et novae doctrinae adhaereant (bellicosus Zisca, subtilis Nicolaus ab Hussinec). Populus desiderio Dei suo modo colendi ab omnibus Bohemiae partibus confluit, (a. MCCCCXIX circiter quadraginta millia hominum) ut canendo, orando, praedicando, sacramento coenae sacrae sub utraque specie fruendo, summam concordiam et ordinem adhibentes, Deum colerent¹⁾. Superbia eorum, qui a parte ecclesiae stabant, et indignatio Hussitarum pugnas movent. Wenzeslao mortuo, gravia illa bella Hussitica geruntur. Invictus gladius Hussitarum exercitus imperatoris totiusque Europae in turpem fugam conjicit; summa ab utraque parte facinora committuntur, ecclesia romana poenas dat ob Hussi mortem; Hussitae, secum ipsi discordes, se invicem oppugnant. Neque vero de his illustribus factis agam, sed de rebus magis ab oculis hominum remotis. Dissensio Pragensium sive Calixtinorum et Taboritarum (quod nomen ex urbe ab iis condita duxerunt) magis magisque in lucem prodit anno MCCCCXX. Pragenses quatuor articulis, quae ad evangelium libere praedicandum, ad communionem sub utraque specie, ad sacerdotum potestatem coercendam, vitam emendandam, ad disciplinam ecclesiasticam acrius adhibendam pertinebant, sententias suas professi sunt; contra Taboritae purgatorium, festa sanctorum, extremam unctionem, poenitentiae sacramentum, jejunia, missam defunctorum rejiciunt, laicis jus sacramentorum administrandorum vindicant²⁾. Accedit, quod multi Taboritarum effrenata phantasia ducti opinionum commenta de proximo fine mundi redituque Christi ita foverunt, ut rerum novarum cupidissimi, se cum sectis Adamitarum et fratrum liberi spiritus jungerent. His vero ab erroribus maxima pars Taboritarum abhorruit, eosque funditus delere haud dubitavit³⁾. Tertia vero pars, a Taboritis orta, propius ad Calixtinorum doctrinam accessit, quibus post mortem Ziscae „orphanis“ nomen datum est⁴⁾. Cum res religiosae cum politicis arctissime conjunctae essent, populus a parte Taboritarum, optimates a Calixtinorum steterunt. Quae partes per longum tempus verbis aut gladiis unionem aut victoriam quaesiverunt. Attamen ecclesia romana a spe haereticorum vi et armis vincendorum destitit, magnumque concilium basileense, multis inutilibus disputationibus interpositis, (anno MCCCCXXXIII) Hussitis quatuor articulos pragenses paullulum circumscriptos concessit⁵⁾. Quibus autem compactatis, quum Taboritae non

1) Pal. III, 1. 416 seqq. Gieseler II, 4, 428.

2) Pal. III, 1. 396 seqq. III, 2. 135 seqq. 191 seqq.

3) Pal. III, 2. 80 s. III, 2, 226 seqq.

4) Pal. III, 2. 294 seqq.

5) Wessenberg II, 341 seqq. 491 s.

consentirent, bellum ortum est, et Taboritae fere prorsus deleti sunt a Calixtinis. Qui e Taboritis servati erant, rebus adversis emendati, ab immani vivendi ratione, cui multi eorum prius se dederant, destiterunt. Conjuncti cum iis e Calixtinis, qui doctrinae biblicorum potissimum adhaeserunt, vitam solum pietati et quieto labori datam ingressi sunt. Contra Calixtini, quorum agendi modus sibi parum constabat, „compactata basileensia“, quae vocabantur, ab omni quidem oppugnatione paparum defenderunt, attamen fluctuabant inter ecclesiam romanam et graecam et unitatem fratrum¹⁾. Quae unitas fratrum (hoc enim nomen illi pii viri sibi dederunt) se ad Asciburgium montem contulerunt, ubi vitam tranquillam degerent²⁾. Quamvis multis persecutionibus obnoxii essent, tamen mox multae societates ecclesiasticae in Bohemia et Moravia in partes eorum discesserunt. Necessitate coacti, sacerdotes sibi ipsi elegerunt; Stephanus, Waldensis episcopus, plures eorum consecravit. Saeculo XV elapso circiter ducenta templa habuerunt. Omnes eorum societates, inter se conjunctae, se partem ecclesiae universalis esse professae sunt³⁾. Ab Hussi doctrina profecti, fideliter et simpliciter scriptura sacra legenda in veritate cognoscenda profecerunt. Justificationem solum e fide docuerunt⁴⁾, adorationem sanctorum, purgatorium, communionem infantium, transsubstantiationem, sacrificium missaticum, adorationem hostiae rejecerunt, duo tantum sacramenta esse affirmaverunt; de reali praesentia Christi in coena sacra non definite sentiunt⁵⁾. Simples in Deo colendo fuerunt, carminibus ad honorem ejus componendis insignes, severi in disciplina ecclesiastica adhibenda, sancti et laboriosi in vita degenda. Humiles et amore Dei hominumque insignes quaesiverunt ubique socios fidei⁶⁾, et in multis confessionibus doctrinam, quam profitebantur, omnibus proposuerunt.

Cognatio et diversitas, quae inter naturam et historiam sectatorum Wiclefi et Hussi intercedit, horum virorum indole jam antea indicata est.

1) Quanta inconstantia maximae Calixtinorum partis fuerit, e docti capitis eorum Rocycanae agendi ratione optime intelligi potest; qui tum archiepiscopus pragensis eligi, tum ad Graecos, tum ad unitatem fratrum se convertere voluit.

2) cf.: „Entstehung und erste Schicksale der Brüdergemeinde in Böhmen und Mähren, und Leben des Georg Israel“ von Lochner. 1832. pag. 16 — 25.

3) Interrogati, cur se ab ecclesia romana separavissent, responderunt: „Non propter aliquas ceremonias vel ritus ab hominibus institutos sejunximus nos a vobis, sed propter malam et corruptam doctrinam. — Ita credimus, quemadmodum Christus dixit, Apostoli scripserunt et primitiva ecclesia docuit“.

4) Gieseler II, 4. 457.

5) Guericke. Kirchengeschichte II, 404.

6) Lochner p. 37 s.

Uterque in rebus philosophicis et theologicis fere idem sensit, uterque — id quod praecipuum eorum meritum est — scripturam sacram pro summa auctoritate habuit, uterque cum pietate amorem patriae conjunxit. At quanta est horum virorum diversitas. Dixerim Wiclefum reformatae, Hussum lutheranae ecclesiae indolem quasi necessitudine quadam attigisse.

Quae Wiclefus agendo et cogitando assecutus est, ea non ex intimo animi sensu (quod Husso contigit) profecta, sed quasi modum eorum, quae ipse animo expertus erat, excessisse videntur. Quaecumque vero Hussus agendo et cogitando profecit, ex usu vitae et intima animi persuasione fluxerant. Wiclefus praecipue in sacerdotii romani vitiis detegendis et in melioribus sacerdotibus erudiendis, in bibliis in anglicam linguam transferendis, et in bonis orationibus habendis versatur. Quae studia, quamvis summam vim habuerint ad ecclesiam reformandam, aliud tamen desiderant, quod in Wiclefo minus, quam in Husso invenimus. Hussus enim propius ad principium materiale accessit, quia magis mystico animo imbutus fuit. Imitationem vitae Christi, quae quasi signum mysticorum saeculi XV fuit, approbavit, eamque praecipue ad agendum impellere voluit. Non sufficit, verbum Dei spargi, sed ager quoque, qui seratur, colendus est, et semina prodeuntia curanda sunt. Quod fieri non potest, nisi societates ecclesiasticae bene constituantur et confirmantur. Hanc rem Hussus diligenter spectavit; primum et praecipue laicorum statum, deinde sacerdotum emendandum esse duxit. Hussus in societate ecclesiastica non hospes neque ignotus, sed membrum ejus esse, et in ea totus vivere voluit. Doctrinam de communi omnium Christianorum sacerdotio tuitus est, neque acquiescit in orationibus sacris sacerdotum, sed laicos quoque Dei colendi participes esse voluit¹⁾. Wiclefi oppugnatio dogmatum romanorum latissime patuit, quod quidem summi momenti fuit, sed jam supra de spirituali ejus ratione quaestionum dogmaticarum tractandarum dictum est. Contra Hussus pauciora dogmata, quam Wiclefus, impugnavit, quae vero dogmata mutari, ea procul a veritate remota, et, quae in loco eorum poni voluit, ea vi vitali imbuta esse, intimo animi sensu perceperat. Wiclefi propria provincia universitas oxoniensis fuit, Hussi vero capella Bethlehem. Eadem ratio inter ambos viros intercedit in iis, quae ad patriam pertinent. Wiclefus magis

1) Evenit, ut Wiclefi terram peragrantes sacerdotes firmas societates ecclesiasticae non constituerent, ut Hussi contra sectatores societatibus constitutis, saepe inopia sacerdotum laborarent.

civitatis formam spectat, Hussus populum. Sic intelligitur, studia utriusque se invicem quasi supplevisse, Hussum scripta et memoriam Wiclefi, praeceptoris sui, in summo honore habuisse; neque mirari possumus, quod discipuli Wiclefi post mortem ejus haud multum profecerint; quod vero sectatores Hussi, in multis iisque gravissimis rebus, secundum principium magistri profecerint.

Si Hussum cum Gersono comparaverimus, magnam utriusque similitudinem esse videbimus. Ille enim profiteri, se membrum ecclesiae catholicae esse, non desistit. Patres vero concilii constantiensis, in quibus nescio an Gerson summus judicandus sit, aliter de Husso senserunt, et inprimis Wiclefi errores ei injungere studuerunt. Ipse Gerson gravissimus ejus accusator exstitit. Profecto Hussus pro modo novi principii adhibendi summus et periculosissimus haereticus fuit, cujus doctrina cum Gersonis componi non potuit. Namque Hussus, ut principium, quod dicitur, formale, summam auctoritatem scripturae sacrae toto animo, totaque mente defendit; Gerson majorem ecclesiae auctoritatem esse disputavit. Praecipue autem modus, quo principium illud ad statum societatis ecclesiasticae emendandum adhibuit, extra fines ejus, quam Gerson sibi cogitatione finxerat, reformationis est. Sicut Hussus a laicis castigandis et ad pietatem veram trabendis praedicando evangelio exorsus est, ita ab iis reformationis initium faciendum esse putavit. Quantum ab hac sententia Gerson abhorruerit, ita in promptu est, ut res vix disputatione egere videatur. Tantum enim dedit curae societatum ecclesiasticarum, quantum cum ordine hierarchico conveniebat; quocirca cum omnibus illis institutis et praeceptis Hussi, quae hierarchicae potestati contraria erant, consentire non potuit. Doctrinam de communi omnium christianorum sacerdotio, de communione sub utraque, totam vivendi et Dei colendi rationem, qua insignes erant Hussitae, non potuit quin improbaret. Ex quo intelligi potest, notionem, quam uterque de natura ecclesiae animo perceperat, componi non posse. Gerson modum doctrinae romanae excedens, universalem quandam ecclesiam invenit, quae hierarchicam doctrinam non prorsus exiit. Hussus, profectus a Wiclefi doctrina, in notionem ecclesiae exponenda non solum decreti aeterni Dei, sed etiam vitae, quam singuli homines agerent, rationem habuit. De signis vero, quibus cognosceretur, adesse veram ecclesiam, non satis planam et rectam sententiam sibi finxit. Nondum enim intellexit, in verbo et sacramentis Dei bene administrandis ecclesiam veram cerni. Quod vitium doctrinae Hussi in tota historia et natura societatum, quas sectatores ejus condiderunt, cognosci potest. Quibus in rebus quum Hussus ad evangelicam, Gerson ad romanam ecclesiam propius accedat, tamen non praetermittendum est,

Hussum multa eaque gravissima elementa, quae in Gersone designata fuerunt, neglexisse neque ad evangelicam perfectionem adduxisse. Sicut in Wiclefi doctrina et vita, sic in Hussi doctrina evangelici principii materialis certa cognitio et exercitatio desideratur. Quare quum Hussus verbum Dei saepe sub specie legis, cujus dictis ad verbum obediendum esset, consideraret, factum est ut sectatores ejus nunquam naturam sectae ecclesiasticae superare possent.

IV. Comparatio cum reformato- ribus saeculi XVI.

Nihil reliqui est, nisi ut, breviter expositis iis studiis, quae porro reformationem appetiverunt, ipsius reformationis ecclesiae vim atque naturam consideremus et cum consiliis Gersonis, cum argumentis Wiclefi et Hussi comparemus.

Ad eos abusus ecclesiae, quos concilium generale constantiense abrogare non potuerat, delendos, concilium basileense non dubitavit, signa inferre in ipsam paparum potestatem. Diu et acriter quum certatum, a concilio alter papa electus, a papa alterum concilium convocatum esset, papa denique victor ex pugna discessit. Desideria populorum iterum decepta sunt. Postea perniciēs morum, in dies crescens, clericorum romanorum et imprimis pontificis animos magis magisque invasit. In omnibus rebus, in quibus cogitatio et actio vitae consistit, malum ad maturitatem pervenit.

„Deo devotae, patientis, submissae“ nationis Germanorum fuit, opus reformationis, quod in Gallia, Anglia, Bohemia susceptum nec vero perfectum esset, efficere. Viri qui reformationem in Germania praecipue praeparabant, remoti a rebus publicis gerendis, mysticam vitam egerunt: alii magis institutionem usumque vitae, alii veritatem mysticam investigandam spectaverunt. Illorum in numero potissimum fratres et sorores communis vitae habendi sunt¹⁾; fide et amore insignes, Christi vitam imitantes, pietatem et libertatem christianam cum vita monachica reconciliare studuerunt. Ad populi sensum et sermonem accedentes in libris evangelicis aliisque ad pietatem utilibus, neque minus in iis, qui classici vocantur, propagandis; in populo erudiendo, juvenibus pietate et doctrina

1) Ullmann: Reformatoren vor der Reformation II, 62 seqq.

instruendis summam operam collocaverunt. Inscii viri hujus societatis (sicut Gerhardus Groot, Zerbolt, Thomas a Kempis) ab ecclesiae romanae externa pietate et disciplina ad veram evangelicam processerunt. Alii vero viri mystici exstiterunt, qui magis ad veritatem investigandam et praedicandam operam converterent; in quibus summam famam assecuti sunt Suso, Taulerus, auctor libri, qui inscribitur *theologia germanica* ¹⁾. *Theologia mystica*, qualis sub finem saeculi XV erat, multum a Gersonis abhorruit. Gerson enim ethicam Dei notionem nondum invenit; unio mystica tantum per extasim hominis et excessum supra se ipsum ei fieri posse visa est; potissimum Deo frui voluit; magis modum et formam mysticae contemplationis, quam argumenta, quae ea assequitur, spectat. Contra Germani mystici Deum quasi patientes, (*Gelassenheit*) et omnem propriam rejicientes virtutem, ad ethicam notionem Dei propius accesserunt, et Christi vitam pauperem imitati sunt. Sic evenit, ut scholasticam disciplinam, ecclesiastica instituta negligentes aut rejicientes, se ad bibliorum sensum et simplicem doctrinam, ad singuli hominis populique necessitatem accommodantes, multo plus, quam Gerson, valerent ad intimum animum vera et sincera pietate imbuendum. Mystici igitur unum elementum sunt, quo reformatio nitatur, id quod ex historia Lutheri aliorumque satis apparet ²⁾. Neque vero *theologia mystica* per se sufficit. Desiderio scripturae sacrae accuratius cognoscendae, a Wiclefo et Husso orto et propagato, in dies plurium hominum animi afficiebantur ³⁾. Ad quod desiderium explendum multae causae concurrerunt, inprimis inventio artis typographicae et restauratio, quae dicitur, literarum. Renovatum enim veterum Graecorum et Latinorum scriptorum studium, primum in Italia ortum, si cum animo pio et religioso conjunctum erat, multum ad reformationem praeparandam afferre potuit; facultatem enim scripturae sacrae in lingua graeca et (paullo post) in hebraica legendae et ad verbum interpretandae suppeditavit, rerum gestarum accuratissime perscrutandarum cupidinem incitavit, fraudes hierarchiae romanae detexit, scholasticos irrisit. Quum accessisset, ut hoc literarum studium scholas et universitates et juventulis eruditionem emendaret, et libertatem populorum a jugo, iis ab ecclesia imposito, defenderet, non mirandum est, vim ejus ad reformationem praeparandam latissime patuisse. *Theologia biblica*, quae prius magis minusve cum scholastica conjuncta fuit, sicut

1) Ullmann II, 202 seqq.

2) Ullmann II, 191 seqq., 231 s., 251 seqq., 260 seqq., 267, — Pfeiffer „die theologia teutsch“. 1855, praef. 13.

3) Gieseler II, 4, 55 seqq. 349 s. 479 seqq. Ullmann II, 372 seqq.

apud Wiclefum et Hussum, studiis Gochii, Johannis de Wesalia, inprimis Wesseli a scholastica fere prorsus separabatur. Wesselus¹⁾, ut Wiclefus et Hussus, biblia summam regulam et normam vivendi et credendi esse intellexit; mystico autem animo imbutus principium materiale reformationis proxime attigit (hoc Wiclefum et Hussum superans) et gravissimum impetum in totam doctrinam romanam fecit. Tribus his elementis et studiis, quae ad biblia, mysticam pietatem, novam disciplinam cultumque populi pertinent, reformatio praeparata est. Ea est propria natura et indoles reformatorum, ut haec omnia in se complectantur et uniant.

Omnis progressus, quos facit genus humanum per magnos viros, aequalium duces, e quibus ingenium totius aetatis relucet, efficiuntur. Id tum maxime accidit, quoniam praecipue laus reformationis est, quod dignitatem personae, quam ecclesia romana neglexerat, singulis restituit. Jam vero Lutherus²⁾ auctor et quasi architectus totius reformationis est. Nam in eo pugna veteris cum nova aetate, hujusque victoria clarissime apparet, in eo principia, quibus reformatio nititur, quasi personae formam et speciem induunt. Eum a Deo ad saluberrimum opus perficiendum vocatum et instructum esse, vita, scripta, facta ejus demonstrant.

Quum a pueris desiderio salutis traheretur, aerumnosa juventute peracta, se ad theologiam contulit. Summa diligentia et ingenii acumine subtilem theologiam scholasticam tractavit; neque vero in ea pius juvenis, quum peccati et culpa conscientia cruciaretur, requiescere potuit. Ut Dei iram placaret et angore conscientiae, quo agitabatur, liberaretur, in monasterium Augustinorum confugit. Tantum autem abfuit, ut votis monachicis accuratissime persolvendis, gravissimis, quas sibi injunxit, castigationibus, justitiam Dei acciperet, ut magis magisque de sua salute desperaret. Tum vero Deus excruciatum ejus animum consolatus est per monachum quendam, qui ei verborum memoriam revocavit: „Credo remissionem peccatorum“, et per Staupicium, virum doctrina et amore bibliorum et mystica pietate insignem. Ab his viris permotus, bibliis et Augustini scriptis inprimis operam dedit. Quum deinde Vitebergam ad

1) Ullmann: Johann Wessel.

2) Dr. Martin Luthers sämtliche Schriften und Werke. Leipzig 1729—1740. — Luthers Leben dargestellt in 17 Predigten von M. Mathesius. Vita et acta Lutheri a Melanchthone. Luthers Leben aus den Quellen erzählt von M. Meurer 3 B. — Luthers Leben v. Pfizer. — Dr. Martin Luthers Glaubenslehre aus u. in d. Quellen v. W. Beste. 1845. — Deutsche Geschichte im Zeitalter der Reformation v. Leopold Ranke. 1839. — Gieseler III, 1. 2. — Niedner Kirchengeschichte p. 564 ss. — Luthers Lehre von der Kirche v. I. Köstlin. 1853. — Die bedeutendsten Kanzelredner der lutherischen Kirche von Beste. I, 1 seqq.

tradendam philosophiam, tum theologiam vocatus, scholasticos doctores persaepe errare cognovisset et Romam profectus sibi persuasisset, opera poenitentiae, qualis ecclesia praeciperet, Dei gratiam hominibus reconciliare non posse, magis magisque Pauli dictum „Justus e fide vivet“, toto animo totaque mente complexus est. Quo melius vidit, Paulum de justitia Dei disserentem, non tam ad eam, quae injustos damnaret, quam ad eam, quae eum justificaret, spectare, eo magis spem proprii meriti abjecit et ad veram pacem, ad certitudinem justificationis coram Deo e sola fide pervenit. Ab hac principali veritate profectus, biblia recte intellexit et ad immediatam mysticam unionem cum Deo per Jesum Christum pervenit. Quocirca conscientia et jurejurando, quod in munere professorio adeundo dederat, constrictus evangelicam veritatem, quam inter gravissimas animi pugnas perceperat, summa alacritate miroque successu et in ecclesia et in auditorio docuit. Aristotelis auctoritas Vitebergae in dies deminuta, scripturae sacrae, Augustini, mysticorum studium in dies auctum est.

Nondum Lutherus intellexerat, principium, quo nitebatur, ab ecclesia romana discrepare. Quare speravit, fore, ut ab episcopis et papa adjuvaretur, quum praeclaras illas XCV theses contra Tetzeli aliorumque nundinationem indulgentiarum ederet, munere praedicatoris adductus. Inde ab hoc tempore a Deo coactus et confirmatus reformator ecclesiae existit. Nam hierarchiae et principum, scholasticorum et monachorum acerbissimis conviciis lacessitus, quum paullatim scripturam sacram et fidem suam ecclesiae romanae valde repugnare intellexisset, invitus et summo dolore affectus errores et abusus ecclesiae castigavit eosque falsa atque depravata pietatis ratione affectos esse, demonstravit. Persuasio, se rem Christi agere, pugnantem fiducia implevit. Nullo adjutore, nisi Deo, nullis armis, nisi verbo divino, hilaris et intrepidus pugnam contra summam eamque invictam mundi auctoritatem subiit. Discidium utriusque partis in dies majus factum. Lutherus multa doctorum virorum scripta audacter refutat. Quum a Cajetano rejectus esset, ad papam melius informandum, et quum papa doctrinam de indulgentiis ratam habuisset, ad christianum generale concilium appellat. Eckius quum impetu suo Militici clementiam irritam reddidisset, Lutherum eo adduxit, ut papam tantum humani juris arbitrum, Hussum injuste damnatum esse contenderet. Hussum evangelicam veritatem praedicasse et pro ea vitam profudisse per totam vitam profiteri non desiit; se cum hoc pio martyre arcta cognatione conjunctum esse, sensit. Quocirca Hussitarum doctrinas et ritus — quamvis schisma eorum initio improbaret — pro evangelicis habuit, et magno familiaritatis usu se cum iis, apostolis Slavorum, conjunxit, suspicionem haeresis minime pertimescens. Fideles enim socios ecclesiae

universalis, communionis sanctorum esse duxit. Ab ecclesia se separare non vult, sed perniciem ejus tollere, eamque emendare studet. Quomodo, profectus a principio fidei et scripturae sacrae omnes partes vitae ecclesiasticae emendare et novo vigore imbuere studuerit, e tribus egregiis libris, quos anno MDXXI edidit, intelligitur. In eo libro, qui inscriptus est „de libertate christiana“, pulcherrime de fide disserit, quae evangelio et promissione gratiae in Christo revelatae nititur, hominemque vere liberum reddit, et de amore, e fide nato, qui christianum servum Dei et proximi reddit. In altero libro „de captivitate babylonica“, corruptam ecclesiae doctrinam de mediis salutis aggreditur, veram eorum vim et virtutem in lucem proferens. In sacramentorum numero coenam sacram, baptismum et quodammodo poenitentiam habet. Quod ad sacramentum altaris adinet cum Wiclefo transsubstantiationem, cum Husso subtractionem calicis rejicit et tertium idque molestissimum vinculum solvendo, hoc sacramentum opus operatum sive sacrificium a sacerdotibus Deo oblatum esse negat; contra verba domini et promissionem remissionis peccatorum maxime urget. Baptismi fructum per totam vitam durare dicit, si modo a christiano per fidem comprehenditur. De poenitentia, quae sensu strictiore sacramentum non sit, sic agit, ut proprio merito nullus locus relinquatur. In tertio libro „An den christlichen Adel deutscher Nation von des christlichen Standes Besserung“, quum commune omnium christianorum sacerdotium defenderit, paparumque arrogatum privilegium scripturae sacrae interpretandae et concilii generalis convocandi refutaverit, de reformatione ecclesiae, qualis a concilio generali et a magistratibus suscipienda sit, disputat. Sacerdotes magistratui subjici, hierarchiae avaritiam et arrogantiam comprimi, academias Aristotele et jure canonico removendo emendari, monasteria numero diminui aut sicut coelibatum abrogari vult. Paulo post quam haec scripta edita erant Lutherus a papa excommunicatus et anno sequenti, quum fidem suam Vormatiae alacri animo professus esset, a Carolo V proscriptus est. Amici eum a rebus gerendis in eremum abduxerunt. Verba Lutheri majore gaudio, pietate, spe reformationis homines omnium ordinum in Germania affecerunt, quam ut, eo remoto, studia ab eo suscepta negligi aut deleri potuissent. Omnes desiderium ceperat totam vitam ecclesiasticam secundum normam veritatis evangelicae redivivae institui; veteres enim formae novo animo non responderunt. Hujusmodi reformatio ob inimicitiam hierarchiae et principum suscipiendam res periculosa erat, periculosior ob impetum falsorum amicorum, qui modum verae reformationis excedebant. Quum enim media salutis et cultus Dei ageretur, multi exstiterunt, qui evangelii nomen prae se ferentes, internis spiritus sancti revelationi-

bus gloriarentur, externa media salutis negligenter, baptismum parvulorum rejicerent; sibi, ut sanctis, jus cultum Dei, mores, leges, respublicas, denique omnem divinum et humanum ordinem evertendi arrogarent. Quibus doctrinis et perturbationibus ex iis exortis, Lutherus Vitebergam reversus orationibus mira dicendi vi et gravitate insignibus, scriptis, factis restitit. Demonstravit, scripturam sacram et sacramenta arctissime cum vera fide christiana cohaerere, ea media esse, per quae sola Deus gratiam et revelationem veritatis exhiberet. Quum his tanquam fundamentis evangelicum societatis ecclesiasticae ordinem superstruere vellet, biblia in linguam vernaculam eodem tempore convertit, quo Melanchthon principia evangelica primus ad artis formam in locis theologicis redegit. Lutherus, persuasus ecclesiam non in externis et humanis ritibus consistere, sed in verbo Dei et sacramentis cerni, in his quasi cardinem totius cultus Dei verti voluit, primitivae ecclesiae exemplar sequens. Praedicationem verbi divini, et propterea absolutionem a peccatis, totius vitae imprimis cultus divini fundamentum et finem esse voluit; laicis calicem reddidit, omnia, quae ad sanctorum adorationem, ad opera operata, ad sacerdotum arrogantiam pertinebant, e cultu ejecit. Pulcherrimis cantibus miro modo animos populi ad Deum colendum excitavit. In cultu reformando instituta per medium aevum exorta quam maxime servavit nec artes pro christiana libertate rejecit, in omni, ne imbecillos offenderet, summa temperantia usus. Vitebergae, ubi docendo, praedicatione, animis curandis semper operam dedit, evangelici cultus exemplar, non normam instituit; neque enim ritus inter se discrepare, aegre tulit. Neque vero in his acquievit, sed quum ei contra Erasmum, qui in studiis humanioribus versabatur, de servo arbitrio et contra Helvetos de coena sacra dimicandum esset, populi ignorantiae, sacerdotum impietati et stultitiae occurrit. Saxoniae urbes et pagos visitans, praedicatione evangelio, catechismo, quem edidit, explicando, scholis emendandis, sacerdotibus ad munus bene administrandum instituendis, devastatam domini ecclesiam adjuvit. Id secutus est, ut quisque laicus sacerdotali dignitate uteretur, ut quisque sacerdos, legitime ad munus vocatus, hierarchica arrogantia abjecta, tantum in verbo ministrando et in sacramentis porrigendis versaretur. Res externas administrandi jus et potestatem, maximam partem penes magistratus et principes esse voluit. Iniquam conditionem, qua tertius ordo premebatur, sublevare studuit; seditiosos autem agricolas aut errore aut fraude se auctoritate evangelii defendere noluit. Quo latius lux renovatae veritatis diffusa est, eo magis monasteria, coelibatus, peregrinationes religiosae cessaverunt.

Neglectis papae et imperatoris minis multi principes et populi

rectam fidem confessi sunt, ut evangelium in dies majore auctoritate floreret. Qua re evangelici Spirae contra decreta fidem suam opprimenda protestati sunt; et anno sequenti insignem illam confessionem Augustanam ediderunt. Haec confessio et ceteri libri, qui symbolorum auctoritatem nacti fidem evangelicorum in Christum secundum scripturam explicant, novae ecclesiae firmum solidumque fundamentum jecerunt. Articulus autem, qui statuit, hominem justificari per fidem absque operibus legis, primus et principalis est, „in quo — sicut Lutherus in articulis Smalcaldicis dicit — sita sunt et consistunt omnia, quae contra papam, diabolum et universum mundum in vita nostra docemus, testamur et agimus“. Quum sic appareret, quibus in locis evangelici ab ecclesia romana discrepant, de usu, qui inter utramque intercederet, discernendum fuit. Lutherus ecclesiam discindere noluit, sed universam aut saltem germanicam emendare. Qua de re universali concilio, tantummodo liberum et christianum esset, se suamque rem subjicere paratus, in libro „de conciliis et ecclesiis“ edito a. MDXXXIX rem accuratius definit. Ecclesiam reformari non posse secundum dicta patrum aut decreta conciliorum; patres enim ipsos soli scripturae sacrae absolutam auctoritatem tribuere; conciliis vero nova dogmata, opera, ceremonias instituere non licere; sed id agendum esse, ut veterem veritatem a novis erroribus et abusibus defendant; ut veram fidem sinceramque biblicorum doctrinam in lucem proferant. — Ejusmodi concilium non convocatum est; Tridentino nihil antiquius fuit, quam ut evangelicos damnaret, ecclesiam de facto dilaceraret. Unde evenit, ut populis, qui evangelium acceperant, gravia bella de libertate et publica et ecclesiastica gerenda essent; quae quum ad rem nostram non spectent, his omissis breviter ea reformandae ecclesiae studia respiciamus, e quibus ecclesia, quae dicitur reformata, nata est.

Eodem enim tempore, quo Lutherus, in Helvetia viri exstiterunt, qui iisdem fere principiis nixi reformationem ecclesiae efficere vellent. In numero eorum, qui a studiis ingenuis profecti, se ab ecclesiastica in externis rebus versante pietate ad scripturam sacram et fidem in Christum converterunt, praecipue Zwinglius ¹⁾ habendus est. Non sicut Lutherus per gravia certamina ad inanitatem sanctitatis romanae cognoscendam pervenerat; sed quum pietas ejus semper ab ea, quam ecclesia praecepit, discreparet, ingenii acumine indulgentias, cultum sanctorum, hierarchiae potestatem etc. refutavit. Praecipue voluit, hominem, abjecta omni idolatria, cum Deo summo bono, uniri, ut sic vitae finem per legem Dei

1) Ulrich Zwingli v. Chr. Sigwart. 1855.

propositum assequeretur. Quum materiali, quod dicitur principio minus tribueret quam Lutherus — peccati enim vim et culpam nimis neglexit, nec fidem justificantem a dilectione satis accurate separavit — omnia formali principio metiebatur, nulla ratione habita humanae auctoritatis. Cognatus cum mysticis externa media salutis parum respexit. In persecutandis iis, quae sibi proposuerat, historica ecclesiae conformatione neglecta ipsam apostolici temporis simplicitatem restituere curavit. Contra anabaptistas et fanaticos pugnavit, sicut Lutherus, inprimis quidem, quia studia eorum rempublicam in summum discrimen ducerent. Adjutus a magistratu Tigurino, amatus a civibus ut vir evangelio et reipublicae maxime deditus, sinceram fidem ubique restituit; e cultu omnia, quae ad paganismum pertinebant, etiam ea, quae ad artes spectabant, ejecit. Quo latius Zwinglii doctrina propagabatur et confirmabatur, eo manifestius apparuit, eum a Luthero aliquantum abhorrere. De quaestione, num Christi corpus et sanguis in coena sacra realiter adesset, inter eos inde ab anno MDXXV vehementer dimicatum est. Discrimen autem, quod inter utramque partem intercedebat, non tam per unionem a principibus vel theologis effectam, quam per Calvinii reformationem, ad quem multi asseclae Zwinglii se converterunt, deminutum est. Calvinus, summa religione, animi constantia, ingenii acumine insignis, creationem et redemptionem ad Dei gloriam et ad absolutum decretum praedestinationis et reprobationis retulit, Augustinum secutus. Summam operam ad ecclesiam a reipublicae dominatione liberandam et severe administrandam contulit. Presbyteris instituendis commune omnium sacerdotium esse declaravit. Disciplina, ecclesiastica severe adhibenda, Genevae mores hominum emendavit. In quaestionibus dogmaticis ad Lutherum magis, quam ad Zwinglium accessit. Calvinus, Lutherus et Melanchthon senserunt, se in eodem evangelico fundamento stare. Similitudo, qualis inter singula membra unius familiae intercedere solet, utramque ecclesiam conjunxit et ab alia quaque ecclesiastica societate segregavit. In duobus principiis, quae sese invicem excipiunt et confirmant: in fide ob Christi meritum, absque operibus justificante et in scriptura sacra, Christum nobis offerente, utraque ecclesia evangelica fundata est. Unum principium cum altero arctissime cohaeret. Fides enim, quae Christum intimo animo recipiens et veritatem et salutis certitudinem homini suppeditat, scripturae sacrae secundum spiritum sanctum explicandae jus et officium habet. Biblia vero, quae objectivam, quae dicitur, veritatem christianae religionis continent, necessaria sunt, ut fides oriatur et crescat. Hac unione fidei justificantis cum verbo Dei cautum est, ne reformatores scripturam sacram pro summa quidem lege, sed tamen pro lege haberent, sicut

multi, qui ante eos reformationem ecclesiae susceperant; neve porro sicut mystici prioris temporis libertatem peterent, quae scripturam velut externum *γράμμα* nullo loco numeraret. Omnes veritates fidei, si ad hunc principalem articulum, ad certitudinem remissionis peccatorum et reconciliationem cum Deo per fidem solam revocantur, clariores et illustriores fiunt. Item amor, e fide natus, pro solo fundamento est, quo nixus homo recte et honeste agere et, aequae a magicis atque pelagianicis erroribus remotus, mundum superare potest. Quibus de principiis, quum utraque ecclesia fere idem sentiat, tamen hoc differunt inter se, quod ecclesia lutherana plus libertati fidei, reformata plus auctoritati scripturae sacrae tribuit. Quo cum discrimine cohaeret, quod ecclesia reformata sanctitatem Dei ab omnibus ethnicis erroribus diligentissime defendit, eamque honeste et sancte agendo exprimit, lutherana vero, judaismo praecipue opposita se magis ad amorem Dei, salvatoris, intimo animo complectendum convertit. Attamen ejusmodi discrimen fuit, ut ecclesiae inter se foedere amoris conjunctae altera alterius auxilio sustentari et ornari potuissent. Quantopere utraque ecclesia in principiis unita sit, apparet etiam ex earum cum Gersono, Wiclefo, Husso comparatione.

Si licet haec vocabula ad doctrinam ecclesiae romanae adhibere, principium Gersonis et materiale et formale in ipsa ecclesia situm est; quo accidit, ut scriptura sacra postponeretur, nec singulis hominibus ea certitudo salutis daretur, quae in intimo animo et quasi foco personae inesset. Gerson fines ecclesiae proferendo, hanc doctrinam paullulum tantum mutavit et emendavit, et id quidem salva ecclesiae auctoritate. Wiclefus et Hussus eo insignes sunt, quod principium evangelicum formale, summam scripturae sacrae auctoritatem in primo loco posuerunt; quo quidem fines ecclesiae catholicae transgressi sunt, neque tamen scripturam sacram cum intimo hominis animo satis reconciliaverunt, quamquam hoc Husso magis, quam Wiclefo contigit. Quum principium materiale nondum animo comprehendissent, hac in re cum ecclesiae romanae doctrina consentientes, scripturam sacram saepe loco legis habuerunt, neque ad veram evangelicam libertatem pervenerunt. Lutherus ab utroque principio profectus totam doctrinam ecclesiae romanae paulatim reformavit, sic eos locos, qui articulum de justificatione antegrediuntur, de Deo, hominis peccato, Christi persona et negotio agentes. Quum scholastici Deum aut secundum absolutum arbitrium aut necessitatem (id quod Wiclefus dixit) omnia agere docerent, Lutherus omnipotentiam et libertatem, justitiam et gratiam Dei ad ejus amorem revocavit, ethicam sibi fingens notionem Dei; Calvinus omnia ad gloriam

Dei refert, et absolutam praedestinationem docendo, id sequitur, ut proprio merito et virtuti prorsus renuntians, omnia liberae Dei gratiae tribueret. Idem Luthero propositum fuit affirmanti hominem per peccatum voluntatem et potestatem bene agendi perdidisse neque solum poenam, sed praecipue quoque immensam culpam sibi contraxisse, hac in re a Wiclefo abhorrens, qui peccatum in stultitia consistere et inprimis poenam respiciendam esse censet. Quod ad Christum, ut Wiclefus, omnes quidem mediatores, quas humana mens invenit, rejicit; attamen ipsum Christum, ejus personam et negotium, in hominis animum inducit per fidem justificantem. Porro quod ad eos locos dogmaticos attinet, qui articulum de justificatione sequuntur, principium Lutheri maximam habet vim ad doctrinam de animi vitaeque emendatione et de ecclesia. Lutherus primus summa cum fiducia et constantia fidem ab emendatione vitae separavit, hanc ex illa secundum legem internae cujusdam necessitatis sequi demonstrans. Quod quum neque Gerson, neque Wiclefus, neque Hussus intellexissent, fiduciam propriae justitiae meritique non prorsus abjecerunt. In doctrina de natura ecclesiae optime cernitur, quatenus ratio inter eos, de quibus loquimur, viros intercedat. Vidimus, Lutherum priore tempore doctrinae catholicae addictum, paulatim de infallibilitate papae, deinde quoque concilii generalis dubitasse. Sic doctrinam Gersonis, qui universalem quidem ecclesiam esse, sed eam a concilio generali repraesentari et ordinibus hierarchicis haud carere posse censeat, haud sufficere nec cum veritate conjungi posse, cognovit; instituta, quae juris tantum humani aut omnino nullius juris essent, de fide credenda esse negans. Attamen, ut in reliquis, sic hac in re cavet, ne cum falso id quod verum haberet ecclesia romana rejiceret. Quocirca non in ejusmodi sententiam, qualem Wiclefus prae se tulit, deduci potuit, qui in natura ecclesiae definienda magis praedestinationem respexit, sicut ecclesia reformata, et vitam, qualis in societate ecclesiastica esset, neglexit. Lutherus proxime Hussi doctrinam de ecclesia attingit. Neque tamen prorsus cum Hussi sententia consentit, nam ne signa desint, quibus cernatur, ubi sit vera ecclesia, id est, communio sanctorum, ecclesiam sanctorum esse congregationem dicit, in qua evangelium recte doceatur, et sacramenta recte administrantur. Porro mutavit doctrinam, quam Hussus sibi de communi omnium fidelium sacerdotio finxerat: „hoc“, inquit, „genus sacerdotii, in quo nos sumus, prorsus non differre videtur a laicis, nisi ministerio, quo sacramenta et verbum ministrantur“. Sacerdotes igitur naturam ministrorum induunt, „nec sacramentum ordinis quicquam aliud est, quam ritus quidam eligendi concionatores in ecclesia,

ritus vocandi alicujus in ministerium ecclesiae“. Rationi, quae inter doctrinam catholicam, Wiclefi, Hussi, Lutheri de ecclesia intercedit, diversitas quodammodo respondet, qua in doctrina de sacramentis insignes sunt. Lutherus tantum coenam sacram et baptismum nomine sacramentorum digna esse putat. Sacramentum coenae sacrae triplice tenebatur captivitate in ecclesia romana. Transsubstantiationem Wiclefus refutavit, calicem laicis Hussus vindicavit, sacrificium missaticum vehementissime offendit animum Lutheri, qui, quod Wiclefus et Hussus assecuti erant, et ipse probavit. Neque vero cum transsubstantiationis refutatione realem Christi praesentiam (quae in Wiclefi doctrina non satis fundata fuit) rejecit; in, cum et sub pane et vino corpus et sanguinem Christi esse affirmat; dum Calvinus hominem tum tantum verum corpus Christi edere putat, si per fidem cum Christo, in coelo sedente, incomprehensibili ratione unitus sit. Finem vero coenae sacrae praecipue remissionem peccatorum esse Lutherus dicit.

Ex his facile intelligi potest, quatenus ratio intercedat inter doctrinam de regimine ecclesiae et de cultu Dei, qualis tempore reformationis florebat et qualem Gerson, Wiclefus, Hussus eam esse voluerant. Quum Wiclefus et Hussus regimen ecclesiae romanae divini juris esse negarent, tamen falso quodam studio bibliorum et primitivae ecclesiae moti, instituta ejus, quantum fieri possit, revocanda esse censuerunt. Reformatores contra, id regimen procurare, singulae societati ecclesiasticae relinquunt; praecipue huic muneri ecclesia reformatam sufficit. Quod vero ad cultum Dei adinet, ecclesia lutherana reformatam valde superat; Lutherus hac in re Hussi principia sequitur; Wiclefus propius ingenium Zwinglii et Calvinii attingit.

Lutheri et eorum, qui cum eo munere reformandi fungebantur, vim ad hominum animos multo majorem fuisse, quam Gersonis, Wiclefi, Hussi, e diversa indole et ingenio horum virorum temporumque, quibus vixerunt, intelligi potest. Quaecunque reformatores verbis factisque effecerunt, fere ab omnibus, qui rerum divinarum amorem nondum prorsus abjecerant, nulla ratione habita ordinum aut nationum, summo gaudio accepta sunt. Reformatores non sectas, ut Wiclefus et Hussus, instituerunt; sed tamen totius ecclesiae — id, quod Gersonis studium fuit — reformationem non assecuti sunt; quod non tam reformatorem, quam adversariorum culpa accidisse videtur. Nos vero, qui per Dei gratiam hereditatem reformatorem obtinuimus, provideamus sedulo, ne a majoribus nobis tradita imminuantur, sed ut ea integra conservemus et in dies magis animo comprehendamus. Caveamus autem errorem eorum, qui

ad reformatorem scilicet auctoritatem provocantes, reformationem XVI. saeculi perfectam et immutabilem normam atque legem fidei esse volunt. Reformatores ipsi optime intellexerunt, se non omnem hominum vitam ad principia evangelica revocasse et emendasse. Opus ab iis praeclare inchoatum et tantum non perfectum persequi, nostrae aetatis munus atque officium esse videtur.

I n d e x.

Introductio. p. 7—9.

I. Gerson. p. 9—27.

Vita et mores. p. 9—15.

Theologia mystica. p. 15—19.

Theologia et philosophia scholastica. p. 19—21.

De regimine et vita ecclesiae. p. 21—25.

Conclusio. p. 25—27.

II. Wiclefus. p. 27—49.

Vita et mores. p. 27—31.

Theologia. p. 31—38.

De regimine et vita ecclesiae. p. 39—46.

Historia asseclarum Wiclefi. p. 46—48.

Comparatio Wiclefi cum Gersone. p. 48—49.

III. Hussus. p. 49—73.

Vita et mores. p. 49—59.

Theologia. p. 59—64.

De regimine et vita ecclesiae. p. 64—68.

Historia Hussitarum. p. 68—70.

Comparatio Hussi cum Wiclefo et Gersone. p. 70—73.

IV. Comparatio cum reformatoibus saeculi XVI. p. 73—84.

Errata.

Pag.	7	lin.	19	lege:	in causis.
"	15	"	30	"	distinctas.
"	22	"	25	"	salubriter.
"	25	"	4	"	Quamobrem.
"	28	"	16	"	majore.
"	29	"	7	"	MCCCLXXVII.
"	41	"	26	"	nullum.
"	57	"	9	"	amicorum.
